



In Epistolam B. Pavli apost. ad Rhomanos Adnotiones

<https://hdl.handle.net/1874/428168>

IN EPISTO.

LAM B. PAVLI APOST.

*ad Rhomanos Adnotaciones à Ioanne
Oecolampadio Basileæ prælectæ,
et denuo recognitæ.*

Cum Indice.



Cum gratia et privilegio Cæsareo.

BASILEAE, ANNO

M. D. XXVI.

PRAEFATIO IOANNIS OECOLAM
PADII IN EPISTOLAM
PAVLI AD RHOMANOS.

Quoniam animaduertimus etiā studiosos nō tam ludibus & encomijs ad ediscendos bonos authores accendi, quām desperatione absterrei. Proinde cum per se celeberrima sit epistola illa ad Rhomanos, et superuacaneum sit illam laudare: operae preclara uidetur ad firmando, si qui essent, inferiores animos, præmonere de quibusdam, ne uel difficultate, uel obscuritate territi, desperarent se a se qui posse Apostolicæ sapientiae sublimitatē. Neq; enim absconditam suam uoluit doctrinam. Nam alioqui quid opus erat illam in medium afferre? Nihilominus hoc nomine apud plerosque neglecta fuit, & in situ iacuit. Fateri quidem cogimur non deesse illi nodos quos dā. Nam & in posteriori epistola Petri legimus, in huius epistolis nonnulla esse intellectu difficultia, que indocti, & parvū firmū, peruerunt in suam ipsorū perniciem. At qui obscuritas attentiores facere debebat: quæ diuino cōsilio sacris nonnunquam literis adhibetur, quo magis nobis commendentur. Ita & Christus parabolis ac ænigmatiſ usus est, ut ignavis & hypocritis ueritas obtegenteretur: studiosis autē & simplicibus manifesta fierent mysteria regni. Proinde & nos afferamus animum simpli-
cem, nō

PRAEFATIO.

tem, non sectantem ea quæ huius mundi, sed quærētem gloriam Christi: & intellectum postulemus à domino, nec dubitemus quin datus sit. Sed quæris, quinā tam grauerit in doctrina Pauli impingat? Habet ad Coloss. 2. de inflatis mente carnis suæ, qui non obtinent caput, quod grauerit aberrent. Hi autem sunt qui nō obtinent caput, qui non præ omnibus gloriam Christi quærunt, qui operibus se, & non fide, saluari credunt: qui etiam fidem ore fatentur, nō autem operibus: qui sublimitate predestinationis impediti, iniusticie deum arguit: qui Iudaicas cæremonias seruandas esse contendunt. Apud Thessal. offendebantur qui terrebant alios, quasi instaret dies iudicij. Origenes dicit hoc loco, errare negates liberū arbitriū: sed nihil plus imposuit quam id ipsum. In summa, quisquis errare nō uoluerit, afferat eundem spiritū quem & Paulus, qui omnia pro stercoribus reputabat, ut Christum lucrisaceret: & ut in nomine Iesu reflectantur omnia genua. Scopus enim totius scripture Scopus scri est, vindicare gloriam dei, ut regnet deus in omnibus, pturæ. maxime aut in cordibus hominū. Sunt & alia quæ difficiuntatem uidentur inuehere, nempe Hebraismi hyperbata, anant apodata, personarum mutationes. Verū illa omnia sunt superabilia studio & diligentia: tantū afferas animū simplicem, dantem deo gloriā suam, & inuenies Paulū agere per omnia fidelem ministrū Christi, inq; utilitatē domini sui omnia uertere cupientē. Vnde primo commendat officiū suū, Secundo gentiles & Iu-

P R A E F A T I O.

dæos cōdemnat, peccatores & infirmos ostēdens, ut sa-
lutem à Christo petat omnes. Tertio. fide in Christū sa-
lutē dari docet. Addit aut̄ quomodo fides operibus or-
nanda, & quo cultu deus colendus: interim disputans,
quid à nobis & à deo habeamus. Nam ab Adam & à
carne, peccatum, seruitus, & mors sunt: à spiritu
dei, sanctificatio, libertas, uita, & securi-
tas. Securitatē autem prædestina-
tione munit: in quibus omni-
bus gloriam dei pre-
dicari uidebis,
quam & per nos sanctifica-
ri preceemur.

I N E P I S T O

IN EPISTO

LAM PAVLI AD RHOMANOS

Adnotaciones, Ioanne Oecolampadio authore.

CAPVT PRIMVM.

Paulus seruus Iesu Christi.



Olenne est prophetis & apostolis officium suum commendare, ne ambitionis, sed mandato dominico obtemperantes docere videantur, & testentur omnibus se domini, non sum doctrinam afferre.

Paulus

De nomine Pauli multi multa in primis Chrysostomus in sermone de conuersione Pauli. Nobis breuiter ita uidetur, Saulum fuisse dictum gentilicio nomine: quia ex tribu & gente Benjamin fuit, in qua Saül primus regnauit. Dictus fuit autem & Paulus, quia Rhomanus ciuis natus erat. Erat autem Pauli nomen Rhomanus gratius: apud quos insignes quidam Pauli erant. Natus dicitur uico Gyscali in agro Tharsensi Cilicie.

Seruus

Ex his seruis Paulus est, quos nūsit homo rex factus
vus nuptias filio, ut invitaret multos. Apostoli quantum

Cap. I. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

ad ministerium, serui: quantum ad mysteriorum agnitionem, amici dicuntur. Plus autem est dicere seruum, quam ministrum. Seruus enim addictius est, minister non item. Id discriminis & Græci habent inter δολοφ & δεσμοντα. Item hoc loco statim disce principatum ecclesiasticum non esse nisi ministerium, iuxta illud Luce 22. Qui maior est uestrum, sit minister.

Iesu Christi,

Iesum opponit regibus, & imperatoribus, quibus cæteri mortalium addicti erant. Plausibilis autem Christi nomen, quam imperatoris. Opponit præterea Christum Mosi, utpote Euagelij annunciatorē, & non omnium legis. Bene autem se insinuat, tanquam nihil aliud quaesiturus, quam quod ad gloriā sui domini pertineat.

Vocatus apostolus,

Hesichio teste uocatus nobilis dicitur, ἦ οὐδὲν μάρτυς κεκλημένος, ἥ εὐδοξός: ut uocatus hic sit dignitatis nomen, non participium. Sicut in conuiuijs uocatos dicimus eos, propter quos instituta coniuia: alios autem quos propter illos uocamus, umbras.

Segregatus

Est & in apostolis ordo, sicut in seruis. Multi serui sunt, qui non apostoli: ita multi apostoli, qui non segregati. Paulus autem præ alijs laborauit, & singulari uocatione electus, idq; insigni miraculo: alij ante resurrectionem, Paulus post resurrectionem.

IN ECHAN

In Euangelium dei,

Iuxta tropum, hoc est, ad annuncianum Euangelium deo. Opponit se doctoribus legis. Multo autem gratius Euangeliū quām lex. Lex dicit, Occide: Euangelium promittit uitam, & uiuificat. Lex dicit, Redde quod debes: Euangelium dicit, Remittuntur tibi peccata tua. Lex iniugit onera, Euangelium dicit, sublata.

(Quod ante promiserat

Parenthesis est, quæ incipit hoc loco, & finit ubi dicitur, Cum potentia) Et describit Euangelium. Euāge Euangeliū. Ilium igitur est, quod predictum fuit in scripturis sanctis, nempe natum Christum deum & hominem, in quo est summa Euangelijs.

In sacris scripturis.

Vide Euangelium conforme esse scripturæ. Proinde & Christus nihil ferè de se loquebatur, nisi quod testimonijs scripturæ probaretur. Et sanctas uocat, quod aliæ præter illas reijci merentur, quantum ad pietatem attinet.

De filio suo,

Ita Christus dicitur sine patre, & sine matre, prægnatus per Melchisedec, ex semine quidē David secundum matrem, id est carnem, & ita ἀπάτως: filius autem dei secundum diuinitatem, & ita ἀμήτως. Et hec est summa nostræ confessionis, ut dicamus cum Petro, Iesum esse Christum filium dei uiui.

Cap. I. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

Qui factus est

*Malum Factus est, & nō το γίνεσθ, quod est fieri.
Nam genitus, esset à uerbo γέννω μαι per duplex rr,
ut testatur Damascenus.*

In potentia,

Id est, multis miraculis.

Secundum spiritum sanctificationis

*Hæc sunt referenda ad id quod supra dixit, Segre-
gatus in Euangeliū dei. Nam de hoc Chrysostomus
in sermone quodam de spiritu sancto ita dicit. Quidam
putauerunt, quod hæc adhærent proximæ sententiæ,
Qui declaratus fuit, &c. non est autē sic: sed Paulus se-
gregatus & ordinatus fuit secundum spiritum sanctifi-
cationis. Et exponit seipsum quando fuerit ordinatus,
nempe post resurrectionem Iesu Christi. Per spiritum
sanctificationis, non intellige personam, sed donum spis-
ritus sancti, quo sanctificat sibi aliquos.*

Ex resurrectione,

*Id est à tempore resurrectionis Iesu Christi. Et ha-
be duo illa uerba Mortuorum resurrectionis, pro uno
uerbo composito ex duobus integris. Dicitur autem
resurrectio Christi, resurrectio mortuorum: quia ipse
est primogenitus resurgentium. Ante Christum non fuit
talis resurrectio mortuorum cognita. Nam licet quidam
resurrexerint, tamen iterum mortui sunt: & est quæ
dicat, Ab insigne & uiuifica resurrectione Iesu Christi.*

Per quem

Per quem accepimus donum.

Xagis hoc loco uel beneficium , uel donum est spiritus ad apostolatum pertinens . Et quia sunt uaria dona , hic adiungit apostolici munera functionem .

Accepimus

Alludit ad id Ioannis , De plenitudine eius accepimus omnes .

In obedientiam fidei

Tropus est , ut obedient fidei omnes gentes .

Pro nomine eius ,

Hoc loco dicit , quid sit Euangelium dei , hoc est , pro nomine Christi . Et hic colligit Cyrillus Christum nescisse esse deum , qui prius dixerat , se esse segregatum in Euangelium dei : nunc dicit , in Euangelium pro nomine eius . Nota & nomen obedientiae fidei . Apostoli enim non agunt rationibus , sed scripturis . Irrident fidē Notā . qui solum de fide disputant , & non obediunt fidei , fidē operibus non declarantes . Irrident etiam qui philosoporum sapientiae innituntur .

In omnibus gentibus ,

Ecclesia ex toto orbe collecta est , eius pars est Roma . Vides hic quod nō præsert eam alijs , dum dicit , In quorum numero estis & uos , non inter quos principatum tenetis . quasi dicat , Nomen unius Christi agnoscimus , non alterius qui discindit ecclesiam . Nolumus nouum principatum fundari , quam spiritualem illū , quo

**Cap. I. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD
Christus regnat in omnibus.**

Vocatis sanctis

Id est, qui uocati estis ad sanctam uitam, uel sanctificationem. Solet scriptura uiuos uocare sanctos. Et id ē esse debebat dicere sanctum & Christianum.

Gratia & pax

Gratia quo ad deum, qui uester fautor sit, & uos illesos cōseruet. Pax uero quo ad corda uestra. Sæpe fit quod in gratia dei sumus: utpote cū externis malis affligimur, & corde sumus minus tranquillo. Pacē igitur simul optat, ut per fidem gratos nos deo esse scientes, diuinæq; nos uoluntati subiçientes, tranquille uiuamus.

A deo patre nostro.

Hunc locū Ariani pro se trahunt, quasi filius minor sit pater, quia pater deus dicatur, & filius dominus: uerum illi suo gladio iugulandi sunt. Nam si filius eadē dona, nempe gratiam & pacem donat, quæ pater, & eadem facit quæ pater, idem deus erit cum patre. Non est enim una operatio dei & creaturæ. Nam alioqui creatura collocaretur in dignitate diuinæ essentiæ, uel deus deprimeretur in creaturarum conditionem. Dicitur tamen de Christo, quod sit dominus, ne crucē eius erubescamus: sed quia ipse nobis seruīt, dignum est ut uicissim nos ipsi seruiamus, & ut dominū agnoscamus, etiam quo ad humanitatem.

Primum quidem

Commenda-

RHOM. IO. OECO. AVTHORE. 6

Commendarat officium suum sibi à domino demandatum, nunc in duobus paragraphis singularem suam benevolentiam testatur, qua non minus opus est, quam officij demandatione. Non est enim apostolorum agere principes & tyrannos, sed patres potius & amicos: inuenies igitur præcipuas amicorum conditiones & officia. Primum amici gratulantur, & deo gratias agunt in mutua felicitate: secundo memores sunt amicorum absentium, tertio orant pro se inuicem, quarto presentes esse cupiunt, quinto muneribus se liberales declarant. Vide item epistolam priorem ad Thess. in qua per tria prima capita fermè eadem agit, quæ nunc.

Gratias ago

Primum indicium benevolentie suæ, quod gaudet de felicitate, & fide Rhomanorum. Sed uide quomodo apostolus non agat more nostro. Nos solemus mutuum gratulari, quasi ex nobis essent nostræ uirtutes: Apostolus aut̄ deo gratias agit, contestas & fidē super qua gratulatur donū esse dei, & à deo profici: quod contra eos est, qui dicunt nostrū esse primū credere: et exigitur quidē primo fides à nobis, sed eius author est deus, ad Philip. Vobis donatū est, pro Christo, non solum ut credatis, uerum etiam ut pro illo patiamini, &c.

Deo meo

Ita deum suum uocat, ut Thomas, qui dicebat: Dominus meus, & deus meus, Io. 20. nō qd' communis deus

Cap. I. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

non sit etiam Rhomanorum deus, uel ipsius duntaxat:
sed quod se declaret addictum deo. Mancipa uentris,
uel aseclae deliciarum mundi non possunt deum dicere
deum suum, quem pro deo non colunt.

Per Iesum Christum.

*Etiā gratias agere pro alijs, Christi donum est.
Nam id toto corde facere magnæ charitatis opus fuerit.
Multi ore gratias agunt, quorum cor siscrutareris,
non absq; inuidia inuenires.*

*Super omnibus uobis,
spiritualis personarum respectum non habet, deū
laudat, in quibus cunq; donum dei uidet.*

Quia fides uestra

Fides illa non dicitur perfecta euangelicæ ueritatis
cognitio: nam alioqui, quid opus erat ad illos scribere?
sed erat insignis in deum fiducia, cum aliquant a notitia
Christi, per quam à fastu mundi se auerteabant, & pro-
pter Christum periclitabantur. Vnde consecutaneum,
quod hi qui illustrantur fide, non ita illustrantur, ut nul-
lo doctore opus habeant, sicut docebit caput proximū.
et ad Philip. 3. dicitur, quotquot perfecti sumus hæc sen-
tiamus: & si quid aliud nescitis, hoc quoq; deus reuelab-
bit. Proinde non est mirū, si etiam sancti nonnunq; errēt.

Annunciatur in toto mundo.

Fides Rhomanorum in toto mundo annūciabatur:
id est in magna parte mundi, & ea quæ Rhomanis sub-
erat.

¶at. Et ita Luc. 2. dicitur censeri totus orbis. Nam & Augustini temporibus Troglodytis non fuit annuntiatus Christus, nedum Rhomanorū fides. Et nostris temporibus quædam insulae ignorantes Christum repertæ sunt. Et nota hic quod quamvis Rhomanorum fides celebrior fuerit, quam aliarum ecclesiarum, non tamen hæc laus ita Rhomanæ sedi tribuitur, quasi errare non possit, sicut Papistæ contendunt. Certum enim est quod aduersus eam prævaluerunt portæ inferorum, hæreses & scelera, id quod & decretales nonnullæ testantur. Et inficias ire non possumus illam nonnullos sortitam impios & hæreticos episcopos. Et libeter admittimus dici esse arcam Noë & domum, in qua agnus paschalis comedatur, sicut laudatur à Hieronymo, dummodo servet uestigia Petri & Pauli. Alioqui, quid prodest degeneribus gloriari de parentum nobilium uirtute?

Testis mihi est deus,

Secundum benevolentiae argumentum in perpetua memoria, qua memor est Rhomæ. Hoc enim peculiare est amicis ut non tam in se, quam in amicis habitet. Sed uide quanto sit sollicitudo Pauli, & amicitiae ratio. Nam pro ea afferenda operæ premium ei uisum fuit, iurare, et deum in testem uocare: quo discas interim de iuramento, quæ ratione Christianis permisum sit, nempe in gloriam dei, & utilitatem proximi. Præceptum enim omnino non iurandi taxat animum non maxim facientem deum, nec timetem sacrosanctum nomē in re pro-

Cap. I. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD.

phana contaminari, ut pote uel lucri, uel contentionis gratia: neq; negare potes hic Paulum iurasse. Idē enim est dicere: Iuro per deum, uel testis est mihi deus. quid enim aliud facit iurans, quam quod deum in teste ueritatis uocat? Et quid refert, quibus uerbis utatur? Attēs de insuper quomodo doctori opus sit apud auditores fidē. Nā sicut hic iurat eius rei gratia, ita alibi se laudat, & alibi excusat. Nihil enim diabolo gratius, & auditōri pestilētius, quam fidē & benevolentia doctoris esse suspectam. Proinde obtrectatrix Maria Hur percussa est lepra: & terra absorpsit Chorc & Dathan.

Quem colo in spiritu meo,

Iuramentū exaggerat, quasi dicat, frustra sit omnis labor & seruitus, si mentiar. Et declarat interim purissimum dei cultum, dum se seruire dicit spiritu, id est interiori homine, & anima deo. Exteriori autem propter deū pximo in gratia euangelizādi sibi cōcredita.

Quod inde sinenter mentionem uestri faciam, semper in precibus meis

Tertium charitatis signum perpetua oratio, ita &

1. Thess. 1. ad Thessal. dicit, mentionem uestri faciens in precibus.

Et Moses quoque in monte pro populo orat. Erat & alia ratione necessarium precari, ut ne concionatores uideantur suis uiribus magis, quam in dei dono, uelle edificare domum dei.

Orans, si quo modo tandem aliquādo
prosperum

prosperum iter contingat

Quarto gaudent amici mutuis conspectibus & colloquijs. Sicut enim inuidi uidere nequeunt quos oderunt, unde & nomen inuidiae: ita contrà amici magna suauitate congregantur, cui congregationi seruit mysterium synaxeos. Ad Theffal. idem dicit, nocte & die orantes, ut uideamus uestram faciem.

In uoluntate dei:

Congregantur & mali, ac principes, sed non in uoluntate dei, uerū contra Christum dominum. Et Balaam contra populu dei prosperum iter habuit. Paulus uero & pīj congregantur in uoluntate dei, non carnali amore. Carnales conuentus sunt, in quibus gloria Christi non queritur, etiam si oecumenica concilia sint.

Desidero enim uidere uos.

Quinto, amici liberales sunt. Ita in signum amicitiae rex Babyloniorum dona mittit Ezechiae: Paulus autē lōge preciosiora dare cupit, spiritualia scilicet. Et quālia hæc? Doctrina, confirmatio, & exhortatio. Docet per epistolam: presens autem confirmaret, & tales dect esse conuentus Christianorum, i. Theffalon. 5. Adhortamini uos mutuo, &c.

Quo capiam consolationem.

Vult & ipse cōsolationem. Nam, sicut doctor cū uiderit opus suū exustū, hoc est, discipulos suos in tentatione à Christo recedere, damnū patitur, & tristatur, et

Cap. I. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

ita per ignem saluus fit, 1. Cor. 3. Ita & fide ac profectu suorum confirmatur & exhilaratur: nec mirum si & Paulus consolationem uel exhortationem à discipulis accipiat, cum & Moses à Ietro consilium acceperit: nec infringet ipse quod scripsit 1. Cor. 14. Potestis singulariter omnes prophetare, ut omnes discat, & omnes consolationem accipient.

Nolo autem uos

Hoc paragrapho certis argumentis probat non esse factum uel uanum, qđ dixit se desiderare inuisere illos.

Ignorare,

Primum indicium charitatis, quia sēpe Paulus instuerat iter ad Rho. & semper præpeditus fuit: id quod Rhomani ex Priscilla & Aquila, & alijs qui à Paulo Rhomam ueniebant, cognoscere poterant.

Et prohibitus sum.

Hinc colligimus non esse fortuitum aduentum uero rum Apostolorum. Nam Christus hoc suum opus esse dicit, q̄ operarios in messem extrudit. Et apostolis Ls. 10. inquit: Ecce ego mitto uos, ut agnos inter lupos. Nam & Amos 4. prædictum est: Pluet dominus in die illa super ciuitatem unam, & super aliam non pluet. Et Esa. 5. mandat nubibus ne pluant. Ita Actuum 16. prohibentur Barnabas & Silas ire in Bithyniā. Apud Thessal. Paulus conqueritur, se à sathanā impeditum, quo minus illos inuiscret. Actuum 18. iubetur loqui Corinthis,

RHOM. IO. OECOL. AVTHORE. ,

rinthijs, eo q. multū populū ibi habeat. Facit aut̄ hoc deus, uel quod auditores indignisint, sicut quādo iubet excuti puluerē de pedibus: uel ut audiores uerbi fiāt.

Vt fructum aliquem,

Argumentum secundum à ſpe multorum fructuum, qualis ſperabatur à Rhoma, eo q. insignis ciuitas eſſet, & domīna ac caput mundi. Ita & dominus inquit Ioannis 14. Ego uos elegi, ut eatis, & fructum affratis. non carnalem, ſed ſpiritualem.

Sicut & in cæteris.

Tertio arguit à debito. quaſi dicat: Etiamſi nullum fructum accipere, officij tamen mei rationem habere debeo. Constitutus enim ſum à deo doctor gentiū, tam Græcarū, quām nō Græcarum: ut ne quis putet me patriæ ſoli addictū. Nā me omnū ecclesiārū premit ſoli citudo. Hac igitur ratione & teneor Rhomanos doce-re. Eſt & in hoc inſigne officiū apostoli, q. eruditorum & rudium doctor ſit. Igitur & plebei apti ſunt ad doctrinam Pauli, & sapientes ex eadē proficere poſſunt. Nec mirū, quandoquidem & Petro in faciem reſtitit. Galat. 2.

Paratus ſum uobis quoque.

Id eſt, hoc debitum accedit meae alacritati. Ita 1. Corinθ. 9. V& mibiſi non euangelizauero.

Non enim pudet me Euangeliij Christi,

Quartum argumentum à gloria Euangeliij. Posſet enim quis dicere: Fateor tibi eſſe animū iniuiſendi, ſpēre

Cap. I. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD
aliquam fructuum, et officiosum quoq; sed remoratur
te quod plerosq; quia in Rhomanac iuitate dedit a spe-
ctaculis, et plena triumphis, male audit uerbum dei: et
propterea erubescens, eo non acceleras. Respondeat mo-
deste, se non erubescere, cum posset maximos suos tri-
umphos ebuccinare: et sic ostendit maximam gloriam
esse uerbi dei. Interim uide confusionem Christianorū,
qui erubescunt sermones Christi. Nam et illos filius ho-
minis erubescet, cum uenerit in maiestate.

Virtus enim dei est.

Clausula hæc bene obseruāda erit. Nam hic ingressus
sum habemus in epistolā totam. Proinde hic tanquam
in limine grauiter aberratur. Igitur status rei tractans
dæ est, Verbo dei credentes saluos fieri. Et hæc est po-
tentia uerbi, ut ipsum uerbum sit potentia dei. Ad salu-
tem, id est ut salutem omnes credentes: neq; enim est alia
via salutis. Ita 1. Corin. 1. Sermo crucis ijs quidem qui
pereunt, stultitia est: at nobis qui salutem cōsequimur,
potentia dei. Et uisum est deo per stultiā prædicatio-
nis saluos facere credētes. Et uide quām necessarius sit
auditus uerbi dei. Nam satius foret omnes cæmonias
tolli, quām uerbum dei intermitti. Hic etiam habes, qđ
respondeas assertoribus liberi arbitrij, dicētibus, qua-
re deus præcipit ea, quæ nostras uires excedunt. Desi-
ne cōqueri. Ecce habes in uerbo dei, et in scripturis dis-
uinam efficaciā, quæ animum excitet, et uitatem sup-
peditet. Nō uidemus omnes quotquot uere audiūt uer-
bum dei

bum dei fructum facere, illud aut repellentes excœcaris

Iustitia enim dei reuelatur

Mos scripture est, ut uniuersalem perfectam, quo magis animis insidet, bifariam dicat, nempe per affirmatiuam, & negatiuam eius: ut in Psalmo 13. arguens nos esse omnes peccatores, &c. Primum ponit affirmatiuam, & dicit: Omnes inutiles facti sunt. deinde subiicit negatiuam: Non est qui faciat bonum usq; ad unum. Proinde ubi talia occurruerunt, nemo loquacitatem putet. Nam emphatica contentione rejiciuntur hi, qui scriptis rae uim facere nituntur. Ita & hoc loco cum proposuissest singulare suum paradoxon, quod uerbo dei salui fintant credentes, dupli illud propositione explicat, sicut & in multis locis scripture: ut Ioan. 3. Qui credit in filium, habet uitā æternam. Vides hic affirmatiuam. Qui autem incredulus est filio, non uidebit uitam, sed ira manet super eum. Vides negatiuam hic. Item Ioan. 3. Qui credit in eum, non cōdemnabitur: qui uero non credit, iam condemnatus est. Et Marci ultimo: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, &c. Ita & hoc loco primo per affirmatiuam indicat, dicēs: Iustitia dei per illud reuelatur. deinde ponitur negatiua: Reuelatur enim ira dei, &c. Est aut dictum illud dignū quod magnifice tractetur. Nā uerbū dei petra est et fundamen: Verbū deum, supra quod ædificandū: de quo 1. Cor. 3. Nā sicut petra. Christus fundamentū nostrū, ita & uerbū eius. Nā dū uerbo Christi credimus, Christo credimus. In hac pe-

Cap. I. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD
tra multi offendūt, nempe increduli: saluātur aut̄ alij.
credētes scilicet. 1. Pet. 2. Vobis iā qui creditis precio-
sus est, nō credentibus uero factus est lapis offendiculi.

Reuelatur

Consilium illud dei, quod per fidem & uerbum crus-
cis omnes gentes saluandae, & ad gloriam adducendae
sunt, ualde arcanum fuit, & absconditum à seculis: ut
Ephes. 3. & Coloss. 1. Fuit etiam occultatum principi-
bus mundi, 1. Corinth. 2. Nam si principes mundi hanc
sapientiam dei, quæ est stultitia crucis, agnouissent, nūs
quam dominū crucifixissent. Illud nunc prædicatione
Euangelij reuelatur. O beatā apocalypsim, de qua do-
minus Petro: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro &
sanguis non reuclauit tibi: sed pater meus qui est in coe-
lis. Hæc est unica sapientia & scientia Christianorum,
scire Iesum, & hunc crucifixum: quam profecto igno-
rant omnes pharisei & iustitiarij, insuis operibus, &
non in misericordia dei confidentes. Fuerunt hactenus
obuelati oculi nostri, ne tāta mysteria cerneremus: nūc
gratias debemus detrahenti uelamen.

Iustitia dei.

Cave ne intelligas hic per iustitiam dei, iudiciū dei,
quo animaduertit in noxios: uel iustitiam, qua ipse met-
est sua iustitia. nam sic exponere deberes: Iustus deus
reuelatur per Euangelium. Sed Paulus hoc non uult:
uerum sensus est, quod per Euangelium innotescit, quis
iustus sit, id est, quis in gratia sit. Declarat enim Euangeliū

RHOM. IO. OECOL. AVTHORE. II
gelium, q. deus amicus sit credulis, iratus incredulis: at
que ita opponitur hic iustitia dei irae dei. Et est iustitia
dei, quae gratis iustificat impium, absq; operu respectu.

Ex fide in fidem.

Videmus quosdam temerario iudicio iudicare, deum
sibi uel alijs offensum, uel beneuolum, si uideant se tem-
porali prosperitate uel florere, uel destitui: sicut amici
Iob de Iob iudicabant. Sed non ita reuelatur iustitia dei.
Nam alioquin omnes sancti qui persecutione in hoc mun-
do patiuntur, iratum haberent deum: & Christus cruci-
fixus mundum placans patri, non fuisset in gratia. Sunt
alijs, qui sibi ex operibus suis gratiam & amicitiam dei
pollicentur: ut pharisaei omnes, non intelligentes illud
Esa. 63. Immundi sumus omnes nos, &c. hi faciunt qua-
si non indigeat misericordia dei. Sed neque sic reuelatur
iustitia dei: cum nullum opus hominis per se ita nobile
sit, ut inde sibi deum promittere possit homo placatum.
Aedifica tepla, pasce pauperes, macerare ieunijs, ar-
teuerte martyres ardore patiënti, uince prædicandi
felicitate angelos, adhuc nullus eris coram deo, neque iu-
sti nomen mereris. In quo igitur reuelatur iustitia dei?
Respondet: Ex fide in fidem. Et quid hoc est? Vult dice-
re, In omnibus fidelibus. Ita enim simplicissime censeo
exponendum, ut respondeat suae antithesi. Reuelatur
ira dei super omnem impietatem. Hic dicit, De fide in
fidem: hoc est, ubi cum fuerint fideles. Postea autem,
Super omnes infideles. Et dicet quis: Et quid opus hac

Cap. I. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD
expositione? An nō potuit spiritus sanctus dirigere lingua Apostoli, ut diceret: Reuelatur super omnem incredulitatem? Respōde, quod neq; hoc caret mysterio. Hoc enim tropo sermonis electorū paucitas indicatur, qui uerbo dei obediunt: dispersi enim sunt. & per misericordiam dei hincinde assumuntur. Non satis facit hic quod dicūt, ex his que patribus dicta, perueniri ad fidem Euangeli: uel quod discamus fidem subinde augescere. Nō enim hic agitur an homo fidem habeat torpidam, uel uiuacē, uel de ortu prædicationis: sed quod deus pro iusto habeat omnem qui fidem habet: neq; iustitia ita tribuitur fidei nostræ, si exacte loquaris quasi operi nostro: hoc enim foret abuti fide, si fide mea uidear fidere, quasi dignum aliquid in me sit quod remuneret: sed ideo tribuitur iustitia fidei, quia fides tribuit totum dei misericordiæ. Et confiteri debemus interim fidem nostram ita infirmam & indignam, sicut cætera opera, ac orare ut augeatur. Nam quamdiu uiuimus, fides imperfectior est, & augeri potest: nihilominus tamen saluat, etiam si fuerit ut granum sinapis, modo sit uera fides.

Sicut scriptum est:

Valde opportune citatur testimoniu[m] Habacuc. Apostolus enim dicit reuelari iustitiam dei non ex præsenti aduersitate uel prosperitate, neque ex nudis operibus: sed fide ipsa. Hæc clara etiā inuenies apud prophetam. Conquerebatur enim, iuxta iudicium carnis, de profectate

ritate impiorum, quasi iusti essent derelicti, & non accepti deo: sed cum staret super custodiam suam, id est, cum esset in contemplatione, reuelatum est ei per uisio nem, ex quo iustitiam dei agnoscere deberet: & preceptum accipiebat, ut tanquam rem memorabilem, & ad omnes pertinentem in buxo scriberet.

Iustus autem in fide sua uiuet.

Hoc est, nō putas illum mihi gratum, qui hic proffre agit iuxta hoc seculū: sed qui fidem habet. Mox etiā reiicitur superbia eorū, qui in suis operibus confidunt: subdit enim, Quomodo uinum potētem decipit, sic erit uir superbis. Confidentialia in bonis operibus, & felicitas temporalis superbos reddit, neq; recte iudicare sinit, sed inebriat & decipit: de quo uino habes Esa. 28. Absorpti sunt à uino, errauerunt in ebrietate, nescierunt uidentem, & ignorauerunt iudicium.

Iustus

Septuaginta legunt Iustus meus, id est, quem ego pro iusto reputo, uiuet in fide.

Uiuet.

Uiuet in futuro dicit, ostendens quod iusti in hoc seculo cōtempti uiuant, & cōputentur cum mortuis, crucifixi scilicet huic mundo: sicut & psaltes dicit: Propter te tota die mortificamur, aestimati sumus sicut oves occisionis. Et Ezechielis 37. dicuntur ossa mortua: cæterum in futura uita uere uiuent absque omni aduer-

Cap. I. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

sitate. Propterea uerū est dicere, quod iustus etiā nunc uiuat. Renascitur enim fide ad spiritualem uitā, ut est Iaco. 1. Voluntarie genuit nos uerbo ueritatis. Tūc autē nascimur, quādo credimus uerbo. Vnde & frequenter dominus dicit in Euāgelio: Fides te saluū fecit. Proinde fides ad opera confert, sicut uita ad alimentū. Fieri potest ut uiuat aliquis, & alimenta nō capiat: sed non inuenies ullum qui cibū capiat, & non uiuat. Quid igitur mirū, si fidei iustificatio tribuatur, & nō operibus? Nā qui fide caret, mortuo est similis. De hoc uide Chrysostomum in sermone de fide & lege naturae.

Ex fide uiuet.

Signanter dicit Ex fide uiuet, nō ex opinione, uel scientia: nam illa tria gradibus inter se distat. Opinio ambigua est, nec firmiter assentit: sed nunc hoc, nunc illud sentit. & dicitur fides simulata, 1. Timoth. 1. ubi exigit fidem nō simulatam. Et hec est fides illa, qua aliqui putant se posse è uiribus liberi arbitrij elicere: ut quando uoluerint, credant: quando autem noluerint, non credant. Scientia autem certior est, & habetur certis argumentis, quibus contradicere nequit: sicut dum ex creatura cognoscimus creatorem: hanc Apostolus hic ueritatem appellat, alij historicam fidem uocant. Et haec per se inefficax est: & sicut lex inflat, & operatur irā, quamuis nobis in adminiculum data sit: At fides certa est & efficax, innititur uerbo dei, & ueritati ipsi, que falli nequit, etiam contradicente humanaratione.

Hec ad

Hæc ad Heb. 11. describitur, quod sit earum rerum quæ sperantur hypostasis, & argumentum eorum quæ non uidentur. quasi diceret, esse pignus quoddam, & certā possessionem earum rerum, quæ sperantur & non uidentur. Qualiter autem uiuamus per fidem, infra latus docet cap. 3. Iustitia uero dei per fidem Iesu Christi. Et quomodo fides sit efficax, docet capite quinto.

Reuelatur enim ira dei.

Ira dei opponitur iustitiæ, & est sensus huius dicti: Omnes impij & iniusti per uerbum dei denunciantur deum habere iratum: nō quod ira accidat deo, sed quod effectus iræ sentiat, dum deus gratiam suam retrahit. Et disce hoc loco, quod sicut non est necessarium pone re specialem quandam infusam qualitatem in anima, præter peccatum, quando deus nobis irascitur: ita nec cum sophistis ponenda specialis qualitas gratiæ, quando nobis amicus est deus. Nam qui fidem habent, certe in gratia dei sunt.

Ira de cœlo

Id est manifesta, quæ impij nō possunt effugere, sicut et à fulmine nemo potest effugere, qd superne descendit.

Super omnem impietatem.

Hoc est, aduersus omnes impios & iniustos homines. Inter impietatem & iniustitiam hoc interest, quod inter fidem & opera. Nam sicut fides erga deum, ita & impietas: & sicut opera sunt erga proximum, ita & iniustitia.

**Cap. I. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD
Veritatem in iniustitia detinent,**

Veritatem in iniustitia detinere, est habere fidē historicam, imō diabolicam quandam notitiam dei, absq; pio affectu. Et hoc est defōdere talentum unicum à deo concreditum. Talento enim scientiæ ueritatis foenerat dum erat talentum aliud sanctæ uitæ, ut coleretur deus sicut oportet. Ex hoc patet apostolum hoc loco potissi mū contraphariseos ac philosophos, ac sapiētes huius seculi pugnare, quāuis sub illis & alij cōprehendātur, quibus uel minima dei notitia contigit, atq; ita totum humanum genus quodammodo obnoxium fit iræ dei. Omnes enim nascimur fili⁹ iræ, & omnes peccauerunt ac destituuntur gloria dei. Infra ca. 3. Perstringit tamē sermone philosophos magis quām alios, quia subdit: dicentes se esse sapientes, &c.

Eo quod cognobile dei.

Quia fidei est credere miserentem deum, non propter nostra opera, sed propter illius misericordiā: ideo operæ preciū fuit, ut primū damnaretur opera nostra, & conuinceremur esse peccatores: sicq; agnito morbo medicū accerseremus, & fide cōmitteremus nos deo. Probat igitur impietatē & iniustitiam, grauissimos scilicet morbos humani generis. Ceterū quo clarius nos conuincat, tollit nobis excusandi occasionem, indicans omnibus positam legem naturæ qua deus agnoscitur: ideo dicit, **Eo quod cognobile dei. Deus quidem natura sua.**

Sua creaturis omnibus incognitus est, ut Ioānes inquit: Deū nemo uidit unquam. ex operibus tamen & creaturis cognobilis est. Neq; nostri officij fuerit mysteria eius curiosius inuestigare, ne ut scrutatores maiestatis opprimamur: Sed adoranda potius sunt arcana, quām excutienda: sicut & angeli obuelantes faciem suam alis apud Esaiam cap. 6. contestantur se non posse comprehendere notitiam dei. Ideo dicit, quod cognosci deo potest: quia non totus cognosci potest.

Nota.

Deus enim illis manifestauit.

Cognouerunt illi quidē non cognitione ouium, quæ pastoris uocem agnoscunt, & quorum pectoribus diuinam mysteria significauit deus. Quarum etiam cognitio à fide non differt, facitq; θεοδίδαχτους, Ioan. 10. Ego sum pastor bonus, &c. Matth. 11. Nemo nouit patrem nisi filius, &c. Cognouerunt aut̄ philosophica cognitione, quæ data est, ut homini desit excusatio, nō quod per illam proficiat: caret enim energia.

Inuisibilia enim mundi.

Inuisibilia eius intellige, ut ipse exponit, potētia & diuinitas. Exponit aut̄ hoc uersu quomodo deus se manifestet. Creauit enī illa, & ante oculos nostros posuit, uimq; agnoscendi dedit, & eternū & incomparabile ēsse illum, qui talia cōdidit, Quod si quibusdā nunq; tātus rationis usus, uel potius tāta illustratio cōceditur, idē de illis iudicandū erit, quod de pueris & morionibus.

**Cap. I. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD
Inuisibilia, &c.**

Exponit quomodo deus manifestet se, & commendat
tum nobis contemplatio diuinitatis à rebus uisibilibus,
quam negligentes arguuntur, Esa. 5. Opus domini non
respicitis, propterea captiuus ductus est populus. Un-
de Psaltes admirās dicit, Psalmo 18. Cœli enarrant glo-
riam dei, & opera eius annunciat firmamentum. Et,
Eleuata est magnificentia eius super cœlos, &c. In quo
rum interpretatione quidam existimant omnino scri-
pturis indignum, ex uisibilibus diuina contemplari, dis-
centes, quid magnisi de cœlis istis intelligas? proinde
ad allegorias se uertunt: sed habes hic Apostolum mo-
nentem. Discas igitur ex pulchritudine, situ, magnitudi-
ne, celsitudine, duratione, ut adores eum qui tanta fa-
cit: & si in ijs creaturis aliquem defectum inuenieris,
discas id deum permisisse, ne in creaturis hæreres obli-
tus cōditoris. Atq; ita sit totus mundus tāquam liber,
quo potentiam, sapientiam, ac bonitatem cognoscas.
Potentiam quidem, nam nemo aliis tāta facere posset.
Sapientiam uero, quia omnia mira uarietate disposita
sunt. Et nō inuenies in toto unam rem alteri per omnia
similem. Deniq; & bonitatem, quia nihil sua utilitate
caret, etiam uenenosa, & quæ nobis inutilia uidentur.
Vidit enim deus quæ fecerat, & erant ualde bona, Ge-
nesis primo. Et Apostolus signanter non dicit ex crea-
tione cœli, sed mundi: ne in solis summis deum admirabili
credas: nō enim minus admirabilis in musca quam
elephanto,

elephanto, in flosculo quam cedro. Hæc igitur sint nobis legis loco, & admoneant ut creatorem supra creationem diligamus. Pertinet enim & hoc ad fidem, ut est ad Heb. 11. ubi dicitur: Per fidem intelligimus perfecta esse secula, ut ex his quæ non apparebant, ea quæ uidetur, fierent. Fides autem non solum uult ut coniectes, sed plane confidas illum ipsum qui tanta creauit, & tuum esse ac fore saluatorem.

Vt sint inexcusabiles,

Non dicit commendabiles, sed inexcusabiles. Deus enim commendabilis est solus, viresque ac opera nostra illi tribuenda sunt. Scientia ideo datur, ut faciat inexcusabilem, ne quis deum iniustitiae arguat. Facit & eum inexcusabilem, qui infirmus est: nam & sua culpa infirmus est. Et is qui prescritbit tantam legem, fidelis est, ut inuocatus auxilium suum prestat, quo lex impletatur. In summa, à nobis est auerti à deo: à deo uero, ut perpetuo illi adhæreamus.

Propterea quod cum cognouerint deū,

Ostendit impietatem & iniustitiam omnem ab ignorantia & contemptu uerbi dei originem ducere. Et plane terribilis sententia est, quæ merito omnem oscitantiam nostram excutiat. Nam qui in uno talento infidelis fuerit, & à cognitione legis ac dei se auerterit per suā negligētiā, non solum non constituetur super multa, sed & eo quod habet priuabitur, grauibusque pœnis af-

Cap. I. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

fligetur. Igitur uitiorum causa est contemptus uerbi dei,
per quod deum cognoscimus: siue id fiat per operana-
turæ, creatorem demonstrantia: siue per doctorem, si-
ue intus doceatur.

Non ut deum coluerunt,

Primum ostenditur impietas, contemptus scilicet
dei, quando non ut decet glorificatur. Dicit autem Paulus 1. Corinth. 6. Glorificate deum in corpore uestro,
& spiritu uestro. Spiritu glorificamus deum fidem, quæ
facit, ut diligamus eum super omnia, adoremus & laua-
demus: & omnibus modis uoluntatem nostram per obe-
dientiam & gestationem crucis illi subiijcimur, quo mo-
do & Christus patrem glorificauit. Corpore autem
glorificatur continentia & castitate, ut est in priore
ad Thessalonicenses quarto: Sciat unusquisq; uestrum
uas suum possidere cum timore. &cetera. Glorifica-
mus item deum operibus nostris, quæ dum proximi ué-
dent, ad glorificationem dei excitantur. Primum hic di-
cit de glorificatione in spiritu, deinde de glorificati-
one per opera, siue in corpore nostro, siue in possensi-
one nostra, dum benefacimus proximo. Et uidetur
quidem illa ad philosophos solos pertinere, qui ueris-
tatem detinuerunt in iniustitia: Sed recte ad omne
hominū genus retuleris, ut omne os obturetur, & ob-
noxius fiat totus mundus deo. Habe autem exemplum in
Adam et Eua, quorum naturam sapimus. Nam illi mox
ut uerbum dei neglexerunt, in impietatem & alia uitia
corruerūs

corruerunt. Apostolus quoque diligenter agit, ut iustitia dei manifesta sit, & nostra iniustitia conuincatur. Deum glorificare, dei donum est. Nemo enim glorificat, uel gratias agit, nisi in spiritu sancto. Deum autem non glorificare, ex nostra ignorantia est, sicut & cetera quae sequuntur. Quater autem hanc eandem sententiam dicit. Secundo subiungit qui mutarunt ueritatem in mendacio. Tertio dicit, quod admodum non probauerunt ut deum agnosceret, etc. Et quarto ad finem capitinis dicit: Qui cum dei iustitiā cognoverunt, &c. ut sepe repetita eadē sententia, euidentius quod uolebat, doceat.

Et uani facti sunt.

Alludit Hieremias cap. 2. Quid inuenierunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongauerunt a me? Nam bulauerūt post uanitatem, & uani facti sunt. Qui enim adhæret creature, uanus fit: qui uero domino, diuinus fit, ut 1. Corinth. 6. Qui adhæret domino, unus spiritus est: ita etiam qui accedit ad lucem domini, illustratur. Dicit Psaltes: Accedite ad eum & illuminamini, &c. qui uero lucem negligit, obtenebratur.

Διαλογισμοῖς.

Vertere potes & disceptationes, ut perstringatur philosophi, & reliqui in dubium vocantes ea quae de deo didicerunt. Nam διαλογισμοὶ etiam ἀδόξια est. Illae sunt tenebrae quae operierunt terram, & caligo est quae obtexit populos. Esaiæ 60. Cum se crederent sapientes coram mundo, stulti facti sunt coram deo.

Cap. I. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

Et mutauerunt gloriam

Vide progressum peccati, & quantum crescat impietas, nisi statim ei per pœnitentiam obuietur. Disputationem enim illam fide carentem secuta est idolatria, qua gloriæ dei potissimum derogatur: quam sententiam etiam sœpe repetit. Et uide etiā hoc loco quantum ab idolis & simulacris abhorrendum sit, per quæ aliquid diuinæ gloriæ decrescit, & commutatur ueritas in mendacium. Nam datur eis quod non sunt. Sunt enim lapides & ligna, & dici incipiunt deus, uel diuini. Vnde Lactantius etiam simulachrorum nomen deducit dicit à simulatione, id est fallacia.

In similitudinem imaginis hominis,

Ut fuerunt idola Veneris, Palladis, Louis. &c.

Et uolatilium,

Nam Aegyptij coluerunt accipitrem atq; ibim.

Et quadrupedum,

Coluerunt enim quidā bouē, ouem, leporē, & alia.

Et reptilium.

Ita excœcatus fuit homo, ut etiam infima anima-
tia coleret, utputa murem. Inuenis autem in historijs,
quod cæpe, cyminum, & fornacem, & febrem, & pal-
lorem, & alia dignatae sunt gentes deorum nomine.

Obseruatamen non omnes tam stupidos fuisse, quod
ignorarint lipidibus & lignis nullam esse diuinam na-
turam: sed statuerunt idola in terris uirtutibus quibus-

dam cœ-

dam cœlestibus. Et dum honorē haberent idolis interra, putauerunt se rem facere gratam ijs, quos dicebant in cœlo. Eadem cœcitate non parud pars uulgi adhuc laborat, que gloriam dei in creaturas, & in sanctos, at que in idola, cōtra præceptum dei transfert. Origenes contra Celsum libro 4. laudat rem publicā Iudeorum, in qua nec imaginum factores, nec statuarum fabricatores fuerint. Et declarans legē Exo. 20. dicit mentem legis fuisse, ut singulis in rebus, sicut ueritas exigebat, Iudei uersarentur: nec præter uerum effingerent alia qua. Libro autem 7. non uult dissimulari impietate cultus idolorum, quemadmodum philosophi fecerunt.

Ideo & tradidit illos deus,

Hanc impietatem sequitur iniustitia: quia non reditur corpori, qd' corpori debetur. Debemus aut̄ corpori continentia & sanctimoniam, ut possit esse templū spiritus sancti. Peccata autem illa posteriora, dicuntur poenae infidelitatis, & fructus carnis: quia si uere credemus deo, sanctificaremus corpora deo. Porrò deus tradit peccatis subtrahendo suam custodiam, & res linquendo nos cōcupiscentijs, quæ in carne nascuntur, non inuoluntarios ad nouas cōcupiscentias protrudendo. Iacobi 1. Vnusquisque à propria cōcupiscentia abstrahitur & inescatur. Deinde concupiscentia ubi consipit, parit peccatum. Secundo deus tradit, dando occassiones, & non impediendo. Tradit tertio deus, peccatum puniendo peccatis.

Cap. I. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

Vt de honestarent corpora sua.

Primorum parentū nostrorū corpora cum adhuc
nō peccassent in paradiſo, magna gloria uestita erant,
sed propter inobedientiam ablata est. Vnde nuditatem
suam agnoscentes, tegebāt se perizomatis. Porrò pro-
labi in immunditiam multo maioris dedecoris est: nam
sic pudor & perizomata abiciuntur. Primū compa-
ratus est Adam iumentis insipientibus. Quanta igitur
fœditas, si ulterius concupiscentia grassetur. Vnde Paulus Corinthijs dicit: Qui scortatur, in propriū corpus
peccat. Vnde hic uocat affectiones ignominiosas fœdi-
tates, & præmia erroris. Et animaduerte, quomodo et
ab hoc peccato ad maiora fiat transitus.

Et coluerunt creaturam.

Argumentum hoc loco habes, q[uod] cultores idolorum
etiam agnouerint summū deū: sed præter eum etiā ali-
os coluerunt. Πας & enim præpositio non tam super, q[uod]
præter significat. Quamvis cuicunq[ue] honorem habe-
mus alio præterito, illum summo loco colere dicimur.

Qui est benedictus,

Signanter addit. quasi diceret: Quantumcunq[ue] des-
um colueris, maiori honore dignior est, & laudandus
est in secula, ita ut à cultu eius nunquam cessandum, &
ad alios transeundum.

Amen.

Subscribit pio affectu alios etiam adhortans.

Propter.

Propter hoc tradidit.

Eodem uerbo utitur quo supra, ut iterū indicet peccata peccatis puniri. Nam nisi pœnitentia refrenemur à peccando, gratia dei nos reuocante, indies grauius peccamus. Ita quum prius posuit libidinem, ut pœnam impietatis nunc portentosam Sodomitarum libidinem subdit, ut grauiorem pœnam.

Nam & fœminæ eorum

Fœminæ, que propter naturalem pudorem continentiores esse debebant.

Mutauerunt

Bene respondet superioris sententiae. Quia enim mutauerunt gloriam dei, puniuntur, ut & suam ipsorum gloriam mutant.

Naturalem usum,

Sicut in impietate adorauerūt idolas indigniorat ita & in immunditia deteriores sunt brutis animantibus, que naturalem usum custodiunt.

Et præmium quod oportuit.

Manifeste dicit peccatum peccato puniri.

Et quemadmodum non probauerunt.

Nunc tertio obijcit contemptam notitiam dei. Et aliam pœnam subiicit, nempe iniustitiam in proximos.

In reprobam mentem.

Reprobamus, depravatū iudicium est, dum bona iudicamus mala, & mala bona: & luce tenebras, et tenebras lucē;

Cap. I. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD
ut Esa. 5. & 19. dicitur immitttere spiritum uertiginis.

Impletos omni iniustitia.

Iniustitia genus est iniquitatum, quæ erga proximum quem offendimus, uel in diuitijs, & hæc fit per auaritiā: uel in honore, & hæc fit per uersutiam: uel in cōiuge, uel filia, & hæc fit per fornicationē: uel in membris corporis, & hæc fit per occidēdi crudelitatem. Et de his habemus quatuor præcepta in decalogo. Auaritia prohibetur, dum dicitur non furandum: Versutia uero, in falso testimonio: fornicatio, quum prohibetur adulterium: affligendi libido, in homicidio.

πορνεία,

Scortatio hic generale nomen est, etiam sub se adulterium continens.

πονηρία,

Proprie dicitur malicia, & pertinet ad malignas tentationes, quæ subdolo animo fiunt. Vnde & diabolus πονηρός dicitur: ut in oratione dominica, Libera nos à malo. Et opponitur malicia hæc candori. Candidus enim omnia in bonam partem interpretatur, & sincero animo adest: πονηρός autem insidiatur famæ, & dolis agit omnia.

πλεονεξία,

Auaritiae genus est, quod sub se furtū, latrocinium, usuram, & cetera continet.

κακία,

Videtur hic proprie libidinem offendendi significare.

κακο-

Κακοκείας,

Qui sunt malis affectibus prædicti, inepteq; gaudēt
Et tristantur, timent & sperant quæ non oportet, κα-
κοκείας dicuntur. Nam de illis quatuor affectibus hoc
nomen propriæ dicitur.

Φιθυρίσας,

Susurriones, qui in occulto obtrectant.

Καταλάλας,

Obtrectatores, qui in aperto.

Θεοσυγῆς,

Dei osores, qui oderunt dona dei in proximis, sicut
Cain in Abel ægre ferebat acceptum sacrificium.

Χπόηφάντας,

Elatos præ alijs, ἀλάζονας, Thrasones, & glorioſos.

Εφιδιγετὰς καιῶμ,

Inuictores malorum. Sicut tyranni quidam præmia
statuerunt ijs, qui noua tormenta inuenirent : ut Pha-
laris . Alij præmia statuerunt inuictoribus nouarum
uoluptatum, ut Sardanapalus.

Γονεῦσιρ ἀπειθεῖς,

Parentibus immorigeri. Vide quantum peccatum
graffetur: quia & in hoc leges naturæ oppugnant, que
docent parere parentibus.

Ασωθέτας,

Stupidi, qui nesciunt se peccare.

Ασωθέτας,

Fœdifragi, cum quibus nihil negotij geri potest.

Cap. I. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD.

Ασόεγγες,

Qui carent naturali affectu: qualis est parentum erga filios, & contrà.

Απωλεύδος,

Irreconciliabiles semel offensi, uel etiam si ipsi priores offendere coeperint.

Ανελεήμονας,

Immisericordes, qui nec mortuis parcunt.

Qui iustificationem dei cognoscentes.

Hactenus arguit manifestius peccantes, nunc uero perstringit adulatores & hypocritas. Et exponitur locus ille bifarium. Primum contra philosophos, qui innocentius uiuebant, neque superius dictis peccatis conquinati erant: hi taxantur quod adulati sunt peccantibus, atq; ita adulacione nō minus nocuerint, quam alij suis peccatis. Quibus & hodie multi ex doctoribus sunt similes: qui auctoritate, facundia, & eruditione prodeesse possent orbi: sed metu periculorum coniuent, silent, & adulantur. Alij exponunt de ijs qui peccant, & alios ad peccandum inducunt.

Δικαιώματα,

Iustificatio uel iudicium, quod talia facientes digni sint morte. NEMPE, exponit quod sit iudicium dei.

CAPVT

CAPVT SECUNDVM.

Ideo inexcusabilis es ô homo.

BAxat hoc loco hypocritas, & eos qui confidunt in externis operibus, dicentes cum phariseo: Gratias ago tibi domine, decimas do omnium quæ possideo, &c. Et uidetur quidem Apostolus iudices maxime redarguere: sed reuera uniuersam hominum condemnatiuistiam, quatenus non aguntur spiritu dei. Dicit igitur, Ideo, id est, eadem ratione. Sicut non est excusabilis qui manifeste peccat, & cognoscit legem: ita & tu qui latenter peccas, sciens & ipse legem, siue illa sit naturæ, siue scripta. Nam licet dicas: Non pecco publice, non adulor, non probro impietatem aliorum: ecce in hoc eris inexcusabilis, quia scis te facere quedam opera repugnante affectu. Et cum tua te arguit conscientia, quod naturali uoluntate, quæ est proclivitas ad peccandum, contradicas deo: quæ tua erit excusatio?

O homo.

Dicēs Homo, admonet humanæ fragilitatis, quæ ad malum propensa est, ut Gen. 6. Cuncta cogitatio cordis ad malum prona. Gal. 6. Considera temetipsum, ne & tu tenteris. Nam & eandem carnem gestas, & nisi misericordia dei te conseruasset, non minus profunde esses prolapsus. Eadem enim facis tu qui iudicas: & si non foris, tamen in corde.

Cap. II. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

**Scimus autem quod iudicium dei
est secundum ueritatem,**

Iudicium dei secundum ueritatem, est non eligere personam, & non in speciem iudicare. In hoc enim differt iudicium dei ab humano, quia homo secundum factum iudicat, & externa: deus autem corda hominum nouit, Lucæ 16. Vos estis qui iustificatis uosipsoſ corā hominibus: deus autem nouit corda uestra.

Aduersus eos qui talia agunt.

Agere hic nō solum dicit externū opus, sed etiā internū. Nam credere etiā opus est, similiter & non credere. Iudicium enim dei maxime est aduersus incredulos.

Cogita autem ô homo.

Deo ut omnem iustitiam tribuit, ita & omnem scientiam. Arguit autem de duobus hypocritas: Primum ob simulationem, quæ se falsuros deū arbitrantur. Deinde ob impenitentiam, quæ comes est hypocriseos.

Aut diuitias bonitatis eius contemnis?

Refellitur stultum iudicium eorum, qui opinantur se ob præsentem prosperitatem, uel externam iustitiam diuinum iudicium euasuros: quos cogitare oportebat præsentissimam iram dei esse, feliciter uiuere, & uitam non emendare: ut est Osee 4. capite, ubi filii adulterantes non corripiuntur. Insuper iustitia nostra interna uera est, non externa. Pal. 44. Pulchritus do filii regis ab intus, &c.

Diuitias boſ

Diuitias bonitatis,

Tropus est Hebræus, id est, abundatatem bonitatem: ita diuitiae sapientiae, id est, abundans sapientia. Proponitur item nobis longanimitas dei in exemplum, ut patienter feramus inimicos nostros, & alia aduersa. Inter bonitatem, patientiam & lenitatem discriminem est hoc. Boni enim largiuntur suauiter. Apud Græcos uerbum est significantius, ρεσότης, quod uenit à ρενού, id est, uti, dum quis expositus est usui omnium. Patiētia refertur simpliciter ad tolerantiam malorum. Lenitas adiicit diuturnitatē temporis, et expectationē patiētiae.

Ad poenitentiam te inuitat

Disce hoc loco, quomodo interpretari debeas opera & facta dei in hoc seculo, nempe ut omnia in bonum tuum permisasant, siue bona suscepseris, siue mala. Et unde scimus hoc? quia dicit propheta, Nolo mortem peccatoris, sed ut magis conuertatur & uiuat. Ita etiam deus uult omnes homines saluos fieri. Nam talia sunt omnia opera dei, quae ad poenitentiam dei nos inuitare deberet. E diuero mala omnia nobis adscribenda sunt, ut Baruch. 1. & Dan. 9. Domino deo iustitia, nobis autem confusio faciei nostræ. Et Osee 13. Perditio tua Israël, tantummodo in me auxilium tuum. Disce etiam quod thesaurus iræ non irrogatur simpliciter peccatis, sed impoenitentiæ, quæ est peccatum ad mortem. Amos 1. Super tribus sceleribus, & super quatuor non

Cap. II. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD
conuertam facie meam: id est uenia datur peccatis que
cognitione, uel sermone, uel opere sunt: impoenitentia
autem ueniam non assequitur.

Iram in die iræ

Iram dicit ablationē gratiæ: reuelationem, ablatio
nem honoris: iustum iudicium perpetuum supplicium.

Iusti iudicij dei,

Iustum primo, quia contrahonorem dei perpetuo
uoluerūt peccare impij, et in delicijs peccati agere. Vn
de dignū ut & perpetuo puniātur. Secundo, quia nolu
erūt hic audire deū auocantē, indigni sunt qui posthac
exaudiantur. Tertio quia non fuerūt misericordes pro
ximis, proinde et ipsi misericordia nō sunt digni. Quar
to, iustum est ut dona auferantur ingratiss, & induan
tur maledictione, qui noluerunt benedictionem.

Qui retribuit unicuique.

Retributionem bonorum pollicetur fidelibus, qui
per dilectionem usq; in finem persecuerant: & ita tria
commendat, fidem, dilectionem, & persecuerantiam.
Fide enim querimus. unde dicit: Quærunt gloriam &
honorem. Nullus enim querit, nisi cui est spes inueni-
endorum bonorum, maxime autem gloriæ & honoris,
& incorruptionis in humilitate & contemptu, ac ad-
uersitatibus huius uitæ. Non uidentur enim que que-
runtur uel expectantur. Ita Abrahe loquitur. Exi de
domo tua in terram quam monstrauero tibi. de incer-
tate terra

taterraloquens, ut inuisibilium spe fidem comprobaret. Secundo charitatem uel dilectionem commendat, dum dicit, boni operis. Opera enim charitatis bona sunt, quæ inter bona opera recenscantur. Tertio commendat perseverantiam. Nemo enim remuneratur, nisi qui legitime certauerit.

Gloria, & honor, & pax.

Gloria iræ opponitur, quia est abundans gratia. Honor uero reuelationi ignominiarum. Fieri enim potest, ut gloria alicui cōtingat absq; honore. Deniq; incorruptio respōdet perpetuo supplicio ex iusto iudicio dei.

Contentiosi

Iudicium ipsoru est ex incredulitate: omnibus enim quodammodo cognitio ueritatis innata est, quæ per cōtentionē & incredulitatē contemnitur, & negligitur.

Furor & ira.

Inter furorem & iram hoc interest, quia θυμὸς furor dicitur prima commotio animi etiam adhuc latēs. Ira autem ὡρὴ aliquo indicio erumpens, ut est in Psa. Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua cor ripias me, unde mitior est furor quam ira.

Iudæi primum & Græci.

Præmiorū & suppliciorū quidā ordo est, at quāto quis ueritatē clarius cognouit, tāto maius accipiat iudiciū. Vnde grauius punitur Iudæus, q Gētilis: Christianus doctus, & episcopus, quam simplex Christianus.

Cap. II. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

Seruus enim sciens uoluntatem domini, & non faciens,
uapulabit plagis multis, Lucæ 12.

Non enim personarum acceptio.

Nomine personæ intellige externa illa omnia, quæ
deus non respicit, qui cor & fidem attendit: unde & ie-
junia, & eleemosynas, & preculas, atq; alia pharisæo-
rum opera inter personas numerare licet. Non enim il-
lis datur merces, quamvis hic de gentium acceptance
uideatur loqui num quis sit Iudeus, uel Gentilis.

Quicunq; enim sine lege peccarunt.

Sine lege peccare, est cum ignorantia legis Mosaicæ
peccare: nam alioqui nulli deest lex naturæ. Maior
tamen condemnatio est in lege peccare, unde Moses est
qui condemnat Iudeos.

Non enim qui audiunt legem.

Locus ille non suffragatur ijs, qui contendunt ex
operibus esse salutem, & nō ex fide. Nam quamvis ob-
ijciant etiam locum Matth. 25. de misericordibus, ex-
ternis tamen illis operibus non promeretur homo salu-
tem, neq; ipsa iustificant, sed sunt indicia & testimonia
internæ fidei. Vnde & Ambrosius his uerbis hunc locū
explavit: Non hi sunt iusti qui audiunt legem, sed qui
credunt in Christum quem promisit lex, hi faciūt legē.
Ita & Gentes incircumcisæ seruant legem.

Nā cum Gētes quæ legē non habent.

Per Gentes ne intelligas hic impios, sed uel Christia-
nos ex

nos ex gentibus assumptos, uel etiā sanctos, qui tempore legis Mosaicæ innocenter uixerūt: qualis fuit Naaman Syrus: uel etiā ante legē, qualis fuit Melchisedec et Iob, ac similes. Sed & hoc bene animaduerte, quod non propter ea humanis viribus salus est tribuenda. Nam & illi spiritus sancto acti, bona opera fecerunt perfidem.

Sibi ipsi sunt lex.

Sibi ipsi legem esse, est habere legem naturalem.

Reuelationis iusti iudicij dei.

Vides hic libros, qui aperiendi sunt in die iudicij, de quibus apud Dan.ca. 7. & Hiere. 17. scriptum est peccatum Iuda stilo adamantino. Reuelabitur enim conscientia nostra in die iudicij, & reuelabitur uoluntas domini. In uoluntate dominiscripti sunt aliqui in libro uitæ, alii uero expuncti. In corde autem nostro, uel conscientia nostra cogitationes & opera sunt scripta.

Qui demonstrant legem naturæ

Lex naturalis ipsa est conscientia: lex quidem dicta, quia prescribit quid iustum, quid faciendum. Conscientia autem, quia factorum nostrorum testis est, & operum nostrorum spectatrix. Dicitur autem & lucerna mentis, & incorruptus iudex, ac regula iudicandi de moribus. Est item & tortoris loco, unde in scripturis Esa. 14. & ultimo, uermis dicitur ac tinea, insuper & ignis æternus. Neque alia grauior mentibus contingit errinys. Porro ad legem naturæ non attinent ea, que

Cap. II. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD
nobis cum brutis communis: ut sunt gignere, educare,
diligere foetus: ut legulei dicunt. Nam illa rectius inter
naturales affectus ponimus. Inter cetera autem lex na
turalis docet deum & parentes colendos, gratitudinem
amplexādam, Reip. seruendum; neminem ledendum,
& ut est in Euang. Lu. 6. Omnia que cunq; uolueritis
ut uobis faciant homines, eadem & illis facite. Vbi uo
luntas ipsa legis loco est. Ceterum sicut lex scripta sua
sciētia neminem iustificat, nisi adiuuetur gratia: ita nec
lex nature, que deum diligendum & colendum ex cre
aturis monstrat, pios reddit.

Scriptam in cordibus suis,

Naturalis legis gemina sunt testimonias, externa sci
licet & interna. Est enim ipsamē testis intrinsecus, &
extra se declarat operibus. Hinc est qđ Adā fugit ad uo
cē domini, qđ se excusat, qđ culpā in Euā reiicit, qđ eru
bescimus, quod cōtumelias putamus obiecta crimina.

In eo die cum iudicabit dominus.

De iudicio occulorū, catholica sentētia est, omnia
in die iudicij reuelanda. Vnde & I. Cor. 4. dicit: Ne an
te tempus iudicetis, donec uenerit dominus, qui & il
luminabit abscondita tenebrarum, & patefaciet consi
lia cordium. Non tamen omnes consentiunt particularē
tim omnibus omnia in die iudicij manifestandas. Ambro
sius hoc loco dicit, manifesta omnia fieri his, qui hic ne
gant iustum iudicium fore, ut confiteantur iniuti, quod
sponte

Sponte nolebant. Ita singulis sua nota erit impictas, & à suis cogitationibus redarguentur. Relinquent enim cogitationes, notas quasdam, quasi in libro descriptas, tunc reuelandas. Ita & quod Matth. 10. dicitur, Nihil occultum quod non manifestetur. non probat singulis singulorum cogitationes manifestari, sed innocentiam aliorum declarari, & aliorum prodi improbitatem, ita ut (quod in hac uita fieri non potest) hypocritæ discernantur à ueris dei ministris. Nunc enim permittum est triticum cum zizanijs, tunc autem triticum purgabitur.

Secundum Euangelium meum.

Iudiciū uocat Euangelium, id est certam & indubitatam prædicationē: letum quidem nunciū bonis, Ieuatūris capitā sua im aduētu domini, & occursuris illi obuiam in nubibus: grauissimā aut annunciationē malis.

Per Iesum Christum.

Refer uel ad iudicium, quia Christo pater omne iudicium dedit: uel ad uerbum Euangeliū, quia à Christo accepit Euangelium, Gal. 1. *

Ecce tu Iudæus cognominaris,

Finis hic est digressionis, & fit redditus ad ea, que superius sunt dicta, ut & Iudei condemnentur, qui legē acceperāt. Eousq; autē deducit sermonē exagge ratione & gradibus quibusdā, ut summū sacerdotē Iudeorum legis notitia sanctificari neget. Vide igitur gradus

Cap. II. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

ex ordine. Primo ponit originem ex sanctis parentibus, dum dicit: Cognominaris Iudeus. Nam uerisimile est illos plus sapere, qui à religiosis parentibus prognati sint, quasi diceret, Tu qui uideris cum materno lacte diuinam suxisse scientiam. Secundus gradus, studium legis: nam singulis sabbatis legem meditabantur. unde dicit: acquiescis in lege, id est, frequēs es in lectione uel auditu legis. Tertius gradus, est à beneuolētia dei, qui maiorem sapientiam Iudeis pollicitus erat. unde dicit, Gloriaris in deo. Et Deuter. 4. Hec est uestra sapientia, & intellectus coram populis, &c. Quartus gradus est, cognoscere eximia, nempe latentem in litera spiritum, & promissum esse seruatorem Christum. Quintus est, institutos esse ex lege, ut omnia probare possint idoneis ex scriptura testimonij. Sextus, ita prouectos esse, ut confidere possint se p̄estare ducatum cæcis, quo ad uiam morum. Septimus, posse etiam esse lumen uerantium in tenebris ignorantiae, & docere ea quæ sunt fidei. Octauus gradus, habere ius castigandi alios. In sapienti enim disciplina debetur & uirga. Nonus gradus, esse in tanta authoritate, ut absq; castigatione sola ui uerbi doceant imperitos. Decimus, tantum habere formam cognitionis, & ueritatis per legē, ut digni sint etiam primo honore sacerdotis summi. In cuius rationali & pectore scripta erat doctrina & ueritas, quo indicabatur summum sacerdotis officium esse; docere ueritatem: de quo habes Exo. 28. Ethāc esse sententiam,

Sententiā patet ex uerbo μόρφωσις, quod proprias figuris & imaginibus aptatur. In summa hoc dicit: quantum uidetur prærogativa scientiæ, nō tamen iustificabit absq; fidc. Ita dominus Matth. 5. Qui soluerit unū de mandatis his minimis.

Qui doces alium, teipsum non doces.

Sunt qui hæc simpliciter exponant de manifestis criminibus, sed mens Pauli est, internā & latente hominis malitiā arguere. Ambrosius omnia illa de incredulitate exponit. Nam incredulus ignorans est, fur, adulter, sacrilegus, & de honestator gloriæ dei, quantacunq; que sciat: nō enim affert ex scriptura quæ oportet. Nā scriptura fidem docet in Christum. Et item hic attende pondus & gradus uerborū. Quinq; enim ponit dignitates, & quinq; uitia. Gradus dignitatū hi sunt: In primo enim est doctor, ille & priuatim docet. In secundo prædictor, is publice annūciat. In tertio uero iudex, is sententiā dicit, id est, præcipit. In quarto iudex seuerior, q; execratur, & cū autoritate repudiatur. In quinto, q; plurimū de diuinis donis gloriatur. His opponuntur quinq; peccatorū gradus. Primus gradus Ignorantia, quæ aliquantā excusationē habet. secūdus Furium, quo inuiduntur aliena bona. tertius Adulteriū, contra alienā uxore. quartus Sacrilegium, in ijs quæ sunt deo sacrata. quinto gradu est scandalum, quo de honestatur gloria dei: qd' ceteris uitijstāq; grauius postremo loco ponitur, allato ad hoc testimonio Esa. 52. et Ezech. 36.

Cap. II. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

Nam circumcisio quidem prodest.

Probat hoc loco Iudeos neque cæterinalibus operibus suis, neque alijs operibus legis iustificari: sicut antea probavit non iustificari iustitia legis. Vnde quod de circumcisione hic dicit, intelligere potes de omnibus externalis operibus, etiam his quæ in lege præcepta sunt. Porro apostolus caute ingreditur sermonem, ne uideatur aduersarius legis, & honorum operum. Locus contrarius uidetur ad Galat. 5. Si circumcidimini, Christus nihil uobis proderit. sed non est contrarius. Vult enim ut iustificatio non ponatur in circumcisione, sed in Christo ipso. Non prohibet q[uod] cæterinæ aliquæ habeantur tanquam opera charitatis: sed negat quod faciant iustos.

Si legem seruaueris,

Legem hic dicitur seruare, qui seruat mentem legis: id est, qui fidem habet in Christum. Possunt aliquot conclusionibus sententiae presentis paragraphi explicari, que admodum difficile quibusdam persuadentur. Conclusio prima & sensus huius dicti: Fides facit omnia exteriora opera & conatus nostros bene ualere, & utilia: quia legem seruare, est habere fidem.

Quod si transgressor es legis.

Secunda conclusio. Carentia fidei uertit omnia in peccatum, & facit omnia opera inutilia. ut infra: Quod non est ex fide, peccatum est. Facit item ex Iudeo non Iudeum: nam hoc est uertere circumcisio in preputium.

Si igit;

Si igitur præputium, &c.

Conclusio tertia. Habes fidem in Christum totam legem seruat, et non minus gratus erit deo absq; exter no opere, quam cum illo. Præputium enim dicitur, qui externam iustitiam non habet. Certum tamen est, quod omnes qui fidem habent, tempore et locis opportunis nullum externorum bonorum operum omittent.

Et iudicabit quod ex natura,

Quarta conclusio. Habens fidem sine externo opere, incomparabiliter melior est habente innumera externa opera sine fide. Nam et iudicat illū, sicut sanctus impium. 4

Nō enim is qui in manifesto Iudeus est,

Sequitur probatio dictarū conclusionū, quia lex est spiritualis, ut infra cap. 7. Et regnum dei intra nos est. Itaq; iustitia est, ubi spiritus fidem cordibus concedit. Iudeus duplex est: uerus, qui habet promissionē Abrahæ, et admissus est in numerum fidelium, is non probatur à circūcisione, uel alio externo cultu, sed fide. Abraham enim quia credidit, iustificatus est. Gen. 15. Et Iudeus personatus, qui hic dicitur in manifesto Iudeus: qui à Christo negatur esse filius Abrahæ, si fidem, que præcipua est inter opera Abrahæ, non habeat.

Nec ea quae in manifesto fit in carne,

Adoptio in numerū filiorū dei, non est per externā circūcisionē, id est, per ullū externū opus, qd' humanis viribus cōstat: sed per circūcisionem cordis, et innoua-

Cap. III. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

tionem hominis, dum sit ex veteri homine nouus, et ex carnali spiritualis: quod non sit nisi per spiritum dei. Vnde et David orat: Spiritum rectum innova in uisceribus meis.

Sed qui in occulto Iudeus est,

Literam dic, quicquid non uiuit in corde per spiritum et gratiam. Spiritum autem, quod spiritu gratiae in corde uiuat. Circuncisio cordis fit per affectum faciendum legis: præputium autem et caro cordis per affectum negligendum legis. Litera relinquit spiritus circuncidit præputium. Litera hypocrita sinit, et occidit: spiritus autem ueracem facit, et uiuificat.

Cuius laus non ex hominibus, sed ex deo.

Quicquid laudabile in homine est, non est ex hominibus, sed ex deo. Itaque nec conatus quidem laudabilis, nisi spiritus sanctus illum operetur. Etenim cum diuidimus hominem in naturalem, rationalē, et spiritualem: scriptura solum spiritualem laudat: naturaliter et moraliter bonum, quomodo et philosophi boni fuerūt, cōdemnat.

C A P V T T E R T I V M .

Quid igitur habet Iudeus,
in quo præcellat? &c.

IN tertio hoc capite Iudeos et Gentiles simul contrudit sub peccatum. Verum antequam hoc faciat, sequens exemplum Christi, ostendens se non aduersarium legis, profert quandam prero-

prærogatiuam Iudeorum: quia tamen absq; fide non iustificantur. Est autem priuilegium hoc, quod præ alijs concredit a sunt illis oracula dei: id est promissio[n]es, & sacrae literæ. Fidelior enim et domino acceptior seruus existimatur, cui plura talenta concreduntur: & si non merito serui, domini tamen beneficio.

Quid enim si quidam non crediderunt?

Dicet aliquis: Imo Iudei hac prærogatiua nō sunt spectabiles, sed magis ignominia notantur, quandoquis de mea abusi sunt, & promissionibus non crediderunt. Respondet, se non uenerari Iudeos propter ipsorum merita, sed propter dei donum: nam de eis scriptū, Notus in Iudea deus. Et iterum: Non fecit taliter omni nationi. Et obserua hoc loco, honorem mereri dignitatem, que à deo creaturæ confertur, etiam si illa ingratia sit. Magis enim in oculis nostris donantis dei munera conspicua esse decet, quam accipientium flagitia. Videmus in hoc excellentem dei bonitatem, quod quamvis presciuerit nos omnes esse peccaturos, uicerit tamen nostram maliciam, beneficiumq; suum non subtraxerit: atque hac ratione etiā diabolus suum meretur honorē. Vnde sicut est in epistola Iudæ, Angelus non fuit ausus illi maledicere: quāuis ipse optimus esset, ille pessimus: agnoscet enim dei creaturam. Hac etiam ratione magistratibus, iudicibus, sacerdotibus, atq; alijs qui diuinis funguntur muneribus, maledicere & detrahere non licet. Honor enim dono dei debetur, nihilominus inter-

Cap. III. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

rim, si locus exposcat, iuxta præceptū domini tanquā
fratres argui possunt. Dicit igitur hic Paulus, quāuis
quidā fuerūt increduli, ego tamen donū dei admiror in
illis: qd' uocat fidē dei, quia præstítit eis quod promisit.

Imò sit deus uerax,

Scripturis sententiam dictam cōfirmat, quæ tamen
proposito suo multum seruiunt, quando quidem huma-
nam iustitiam cōdemnare intendit. In summa dicit, deo
omne in gloriam deberi, homini autē confusione. Nam
quamvis nos impij simus & indigni, tamē deus in pros-
missis suis uerax est, in operibus iustus, in iudicijs &
certaminibus uictor. Nos autem conuincimur omnes
mendaces, iniusti, & rei. Pugnat item hoc dictum ma-
nifeste contra eos, qui nolūt hominem in suis operibus
peccare. Item contra eos, qui aliquos peccare dicūt ho-
mines in aliquibus, & non omnes in omnibus, quando
spiritu dei destituti sunt.

Et omnis homo mendax,

Signanter enim dicit Omnis. Est autem homo men-
dax non solū in potentia, quia nō potest præstare quod
promittit, sicut quidam hunc locum exponūt: nam hoc
non est proprie mendacem esse, sed infirmum. Deus au-
tem hoc etiā modo uerax est, ut Esaiæ 14. Dominus
decreuit, quis poterit infirmare? Item nō peribit apex
uel iota de lege, &c. Non solum igitur homo mendax
est in potentia, sed & iudicio: quia fallitur, & indigne
de diu-

de diuinis rebus pronūciat. Nam ambulat in tenebris,
quandiu non fuerit illustratus à deo. At hoc modo deus
non est mendax, sed maxime uerax. Non enim fallit, ne-
que falli potest, quum ueritas ipsa sit. Est autem homo
etiam mendax opere & uita: quia concupiscentiae ma-
lo obnoxius est. Et ita quādiu uiuimus in hac uita, sem-
per est aliquid latentis hypocrites, etiā in his qui san-
cti existimātur. Proinde homo nunquā caret peccatis;
& semper orare habet, Dimitte nobis debita nostra.
quod & sancti orant, nō solum de præteritis peccatis,
sed etiam præsentibus. Deus autem etiam hoc modo ue-
rāx est, & prorsus sine macula, ac sanctus.

Vt iustificeris in sermonibus tuis.

In hoc uersu primum animaduertendum, quod re-
ferri debeat ad principium psalmi, & non ad initium
istius uersus. Dicas ergo: Miserere mei deus, ut iustifice
ris in sermonibus tuis. &c. & non, Ideo peccavi ut iu-
stificeris. Iustificare autē hic est iustū apparere, & co-
gnosci à nobis. Sed David nō solū dicit iustificeris: sed
addit, In sermonibus. Per sermones intellige promissio-
nes & oracula, in quibus per Christū pmissi, est omniū
peccatorum remissio. Orat ergo, ut cognoscatur deus
seruare pmissiones suas in condonandis peccatis ipsius.

Et uincas cum iudicaris.

Multi sunt qui deū iudicāt, nēpe omnes qui credunt
nos operibus nostris iustificari, & non fide: similiten-

Cap. III. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

qui dicunt deum non facilem ad miserendum . Item qui dicūt, nō ex æquo cum dimittere grauia, & minus gra uia, si adsit fides . Item qui nostras satisfactiones requi runt : horum omnium deus uictor est, dum gratis per Christum nobis peccata condonat . Grauiter autē pec cant, qui talia de deo tradunt . Conantur enim deum facere mendacem, qui promisit per Christum se condonaturum peccata.

Quod si iniustitia nostra.

Sumunt impij ex dictis Dauid male intellectis occa sionem cauillandi & blasphemandi . Nam quia dixit Dauid, Tibi peccaui ut iustificeris . arguunt : Ergo & nos peccamus deo, ut iustificetur . Inferūt item & alia absurdā, quod deus sit iniustus, quod non iudicet, quod nullus peccet, & quod sit peccādum . Illos refellit Apo stolus noua digressione, concludens damnationem illo rum iustā, eo quod scipios cōdemnent suo ore, ostender tes se esse ex damnatis illis coram deo, eo quod dicant: Non sum sicut cæteri hominum . Quid est enim quod dicere uolunt, dum dicunt : Faciamus mala, nisi quod gloriantur se carere malis ? Nam reuera non uiuimus abs que malis & peccatis .

Quod si iniustitia nostra dei iustitiam commendet, &c.

Non possumus ire inficias, quin etiā omnia mala im piorum quodammodo cedant in gloriam dei . Vniuersa enim

enim propter seipsum condidit, etiam empium ad diem malum. Proverb. 16. gloriamq; suam non daturus est alteri. Nā ex peccatis in uniuersitate rerum, quasi ex antithetis, decētior quidam ordo oritur, cui ordini & mala seruiunt. Porrò decentia illius ordinis probatur à deo & diligitur. Malum autem per se nō diligitur, neque probatur, nisi quatenus uniuersitati rerum seruit. Itaq; dum puniuntur mali, & boni magis honestantur, & longanimitas dei in tolerandis malis cognoscitur, diuina commendatur iustitia. Porrò non est quo d'inferrat aliquis: Ergo iniustus est deus, qui punit? Nam neq; in ciuitate iudex tanquam iniustus argueretur, si tanq; iustus ab his quos punit, laudaretur, & ipse suam probet iustitiam ac ordinis decentiam. Et iterum non est quod quis obijciat, Secus se habere in deo & alio iudece, cū deus possit prohibere ne quis peccet. His respon detur: Si deus prohiberet ui quadam peccantes, iā nullo modo iustitia eius innoteceret. Itaq; non est iniustus qui odit omnes operantes iniquitatem, tametsi interim decentiam ordinis rerum approbet: Iniquus autem forret, si peccatum laudaret. Item, non est iniquus, qui malis, quos non probat, bene utitur. Alijs autem, qui infes runt uel non peccatum, uel peccandum, ut iustificetur deus, & gloriosus appareat, ita responderi potest: Nos debere existimare, quod pertineant ad gloriam dei, que ipse præcepit. Præcepit autem ut uiuamus iuxta uerbum suum, non iuxta euentum uel dispensationem: imo

Cap. III. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

ex uerbis eius satis claret, deum nolle nos peccare: & quantum ad euentum attinet, plus satis peccatorum habemus, è quibus eluescat gloria dei. Denique prophetam dicit, Iustificeris in sermonibus tuis: eò spectat, ut confitentibus nobis peccata, & damnantibus opera nostra, iustus appareat deus, & non simpliciter nobis peccantibus.

Humano more loquor,

Id est, in aliorum persona obiectionem profero.

Absit.

Quis iudicat, quā tamen reiūcio. Nam subintellige dīcūt: Si sic est, quomodo iudicabit deus hunc mundum?

Quid igitur: Præcellimus?

Post digressionē redit ad institutum, ostendens, quātum ad iustificationem attinet, eandem omnium esse cōditionem. Itaq; neq; Iudei Græcos antecellunt, neque Græci Iudeos, quamvis alia aliorum dona sint. Iudei hoc habebant præ gentibus, quod acceperant leges & promissiones à deo: Gentiles autem præ Iudeis laudabantur, quia legē quam non acceperāt, non erant trāgressi, & ita minus arguebantur.

Nam ante præcausati sumus.

Id est speciatim ostendimus, nūc hos, nūc illos taxando. Iudeos, ut docentes legem, & seipso non docentes: Gentes uero, ut ueritatē in iniustitia detinētes. De Gētibus enim primo capite dixit, de Iudeis in secundo.

Sicut

Sicut scriptum est:

Egregiam illam sententiam, Homines esse peccatores, & solum Christum iustum, probat scripturis. Civitas autem magis mentem, quam uerba scripturæ, & ex varijs locis in unum testimonia congerit. Primus uersus est ex Psalmo decimotertio: Ne unus quidem iustus. Secundus ex Psalmo 5. cum dicit: Sepulchrum aperiū guttura eorum. Tertius ex Psalmo 139. ubi habes: Venernum aspidum sub labijs eorum. Quartus ex Psal. 13. in quo dicitur: Quorum os execratione plenum, &c. Quintus ex Esa. cap. 59. qui est: Veloce pedes eorum, &c. Ultimus ex Psalmo 35.

Non est iustus,

Probat omnes homines esse peccatores in omni genere peccati. Vides autem hic discrimen peccatorum. Radicem enim peccatorum cum arbore ponit. Incredulitas radix est, & iniustitia dicitur: sicut fides radix est iustitiae, & iniustitiae. Primum autem indicat uitia interni hominis: cuius due sunt partes, intellectua, & affectiva. Intellectua uitium est ignorantia ueritatis, de hac dicit, quod non sit qui intelligat. Accipe autem per intellectum, consummatam doctrinam uitae, que facit ut homo in omni re prudenter iudicet, & recte sapiat de deo, & omnibus: unde non sunt intelligentes philosophi, Balaam, Eliu, de quo Iob ca. 32. Vitiatum autem hominem ex hac parte uel hinc habes, quod anima uis homo non intelligit ea que dei sunt, 1. Cor. 2.

Cap. III. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD
Non est qui inquirat.

Affectu quoq; uis animæ uitata est propter φιλοντοσεις, hoc est amorē sui. Omnes quæ sua sunt querunt, ubi deest charitas. Vnde dū dicit: Nō est qui exquirat deum, intelligens, affectu cordis.

Omnes declinauerunt,

Declinatio incredulitatis est, quæ quantulacunque parua non excusat à peccato. Sicut fide appropinquamus ad deum, ita incredulitate deflectimus à deo.

Inutiles facti sunt.

Vbi defectus est fidei, ibi polluta sunt omnia opera. Infidelitate enim omnia opera corrumpuntur, infra cā.
34. Quod non est ex fide, peccatum est.

Non est usq; ad unum.

Taxatur peccatum omissionis. Hæc alijs uerbis taxatur, 1. Timoth. 1. Cū snt abominati, incredibiles, & ad omne bonum opus reprobri. Aduerte autem diligenter, quomodo dicat, omnes simul, et non est usq; ad unū: quo conuincat nos omnes esse peccatores. Porro non sunt audiendi Iudei, uel Iudaizantes, qui psaltem expoununt, tanquam loquatur duntaxat de sui seculi hominibus. Similiter autem nec illa euasio ualet, qua quidam tropum sermonis dicunt, ut omnes accipiantur pro multis: sicut in Gene. Omnes prouincie ueniebant in Aegyptum. uel illud in Euangelio, Omnis Hierosolyma exiuit ad eum, ubi Omnes accipiunt pro multis. Proinde
Apostolus

Apostolus euertit eorum errorem , dicens : Omnes si-
mul & non est qui faciat bonum, &c. Si autem obijcias
multos in scripturis de iustitia laudari, nempe Noë,
Abraham, Iob, & similes : & in novo testamento Za-
chariam & Elizabet, scias illos iustificari comparatio-
ne ad iniustiores , non quod sint expertes omnis macu-
le: quæ solius Christi laus est, quamvis uerum sit, credē-
tibus id quod habet iniustiæ nō imputari in peccatū.

Non est qui faciat bonum.

Faciat, respondet magis mēti scripturæ, quām exer-
ceat. Potuisset enim dicere Apostolus ἀσκῶ

Sepulchrum patens, &c.

Ponit fructus peccati, primum in sermone. Cōgruit
autem uersus ille potissimum contra falsos doctores, cō-
scientias affligentes suis doctrinis . Sunt autem doctri-
næ false quasi cadauera. Matth. 22. Hypocritæ dicun-
tur sepulchra dealbata. Sunt autem uerba mala, & bla-
phemiae de malo thesauro cordis : nam ex abundantia
cordis os loquitur.

Linguis suis dolose agebant,
Malo affectu sua querētes utcūq; officiosi uideātur.

Venenum aspidum sub labijs eorum,
Hoc proprie quadrat malis doctrinis , quæ lethife-
re sunt.

Quorum os execratione plenum,
Maledictio est, quicquid docetur uel defenditur con-

Cap. III, ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD
tra Euangeliū: sicut benedictio, ubi prædicatur Euāge-
lium. Nam per uerbū dei benedicūtur filij Abrahæ.

Veloces pedes.

Homicidium ponit tanquam grauissimum pecca-
tum in scriptura. Vides autem emphasis uerborum il-
lorum. Non solum homicidas dicit, sed uelociſ curren-
tes ad homicidium.

Contritio & calamitas,

Hoc est. Omne studium eorum est ad conterēdos &
affligendos pauperes. Exponit enim seipsum. Non co-
gnouerunt uiam pacis, hoc est, non sunt pacifici. &
quod de ira dicitur. idem & de cupiditate intelligas.

Non est timor.

Causam omniū malorū dicit incredulitatē, & defe-
ctum timoris dei. Ideo enim nō timent, quia nō credūt.
Ad probandam aut̄ hanc sententiā, sunt & alia testimo-
nia multa scripturæ, ut Ecclesiastes 7. Non est homo in
terra qui faciat bonū & non peccet. Psal. 142. Nō iusti-
ficabitur in conspectu tuo omnis uiuens. 1. Ioan. 1. Si di-
xerimus quod peccatum non habemus, &c.

Scimus aut̄ quod quæcunq; lex dicit.

Ne quis prætexet ea quæ in scriptura dicta sunt. so-
lis manifeste impijs dicta: manifeste indicat quod hæc
ad omnes pertincent, qui ad legem pertinent, & con-
demnatis ijs qui in lege sunt, condemnantur & gentis-
tes pluribus peccatis obnoxij.

Vt omne

Vt omne os obturetur,

Sancta esse sententia illa comprobatur, quia gloria dat deo. Nisi enim peccatores nos agnouerimus & mēdaces, deum ueracem non faciemus. Dicit autem obtusus ad os, ut ne de minimo gloriari possimus, & ita ne mutire quidem audeamus.

Propterea quod ex operibus legis non iustificabitur

Opera legis uocat ea, per que legem exprimere nostris uiribus conamur, & ita etiam uirtutes peccata dicuntur. Nullae enim tam candidae sunt, quin labecula aliqua in eis inueniatur, quæ tamen non nisi à ualde spīritualibus cognoscitur.

Omnis caro

Caro totum hominem significat, tam internum quam externum.

In conspectu eius.

Hoc signanter addit, quia per legē iustificamur corā hominibus, sed non coram deo. Fide aut̄ coram deo iustificamur. Sed et opera iustificati hominis polluta sunt ob carnis proclivitatem, ita ut iustificare nequeant.

Per legem enim cognitio peccati.

Obijcenti, quid ergo proderit lex? Respondet, per legem est agnitio peccati, id est, ualeat ad agnoscendum peccatum. quod uerum est tam de lege naturae, quam legi scripta. Abolitio autem peccati per fidem est.

Cap. III. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

Nunc uero sine lege

In prioribus satis cōdemnauit nos omnes esse filios
irae, & obnoxios peccato: nunc lege prostratos erigit
Euangelio, incipiens probare alteram partē, de qua in
ca. 1. dixit: Iustitia dei reuelatur in illo de fide in fidem.

Iustitia dei,

Etiam hoc loco iustitia est, qua nos deus iustos reputat, quando scilicet in eius gratia sumus.

Absq; lege,

Non quod omnino prohibeamur facere opera legis,
sed liberum est illa facere, prout fides & charitas dic-
tant. dicit autem illa opera non reputari ad iustitiam,
neq; de cæremonijs solis loquitur, sed omnibus quæ in
lege precepta.

Dum comprobatur testimonio,

Christo glorificato in monte testimonium perhibe-
bant Moses, & Elias: quando & auditum, ipsum esse di-
lectum patris, Matth. 17. Testimonium legis habemus,
Gen. 3. ipsum semen scilicet conteret caput serpentis,
id est Christus. Et Abrahæ dictum est, Gen. 12. In semi-
ne tuo benedicentur omnes gentes. Testimonium uero
prophetarum habemus, præsertim apud Dauid, Psal.
131. cui dictum est, De fructu uentris tui ponam super
sedem tuam. & cætera. Esaiæ 55. Et seriam uobiscum
misericordias, &c.

Iustitia uero dei,

Mirari

Mirari posses quare iustitia dei dicatur, cum sit indulgentissima misericordia. Causa hæc est, quia innititur promissionibus. Iusti autem est præstare promissa. Et quia deus promisit salutem per filium, & non per opera nostra, recte iustitia dicitur. Præterea iustitia est consiguentem ad se suscipere: iniustitiae autem foret & iniquitatis, non suscipere.

Per fidem Iesu.

Et non per opera nostra, quia Christus iustitia nostra est: uel per fidem, id est, per fidem illā in qua predicatur Iesus, si recepta fuerit.

In omnes, & super omnes qui credunt.

Insinuat nō sufficere audire, nisi & credatur. In summa idem dicit quod supra, iustum ex fide uiuere. Fides autem non est nisi ex auditu.

Non enim est distinctio,

Nō solū de gentibus, sed de temporibus omnibus uerū est hoc dictū. Iustificati enim in fide nō solū sunt gentiles, sed et Iudei: atq; etiā hi q; in ueteri, et qui in noua lege.

Omnes enim peccauerunt,

Habes hic manifeste & sanctos peccasse. Et non dicit Imperfecti fuerunt, neq; Ad malum propensi sunt: sed, Peccauerunt. Agnoscamus ergo nos peccatores. Vsq; adeò autem uerum dictum est hoc, ut nullus præter Christū legē impleuerit suis uiribus. Semper enim sanctis adhæsit labecula quedam,

Cap. III. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD.

Ac destituuntur gloria dei.

Gloria dei est, quod gratis dimituntur peccata per
meritum Christi absque nostra satisfactione. Ita omnes
elegant gloria dei, quia iustitia carent.

Iustificantur autem gratis, &c.

Iustitiam accipientes, ut congruat omnibus quouis
tempore ad Christū uenientibus. Bene aut̄ nota uerbi
Gratis: quia nihil operantes, neq; uicē reddentes iusti-
ficamur, quandoquidē ante peccatores & inimici era-
mus, ut infra capite 5. Et apud Esa. 55. Venite & emi-
te absq; argento, & absq; cōmutatione, uinum & lac.

Per illius redemptions,

Quia Christus dinumerauit precium, semetipsum
offerens, ad Galat. 3.

Quem proposuit deus.

Rectius propitiatorium, id quod Græci uerbi pro-
prietas signat. Dicitur enim ἡλασθεὶς, sicut χαρισθ-
εὶς, donū quod ad propitiandum datur. Alludit item
ad propitiatoriū ueteris testamenti, quod erat opercu-
lum arcæ foederis, unde se deus propitiū futurū promi-
serat. Proinde ad Christum tanquam ad asylum confu-
gimus, 1. Ioan. 2. propitiatio dicitur pro peccatis.

Proposuit.

Illum ante multa secula in hoc prædestinavit, uel
etiam ante oculos nostros posuit, quo magis charitas
dei significatur.

Per fidem

Ita 1. Ioan. 1. Sanguis filij eius emundat nos à peccato. Exodi 12. Sanguis agni paschalis, quo oblinebantur posteri, faciebat præterire angelum exterminatorem: ita & sanguis Christi à morte nos liberat. Designatur item persanguinem passeris, per quem mundatur leprosus septies aspersus. Leuit. 14. Ita Hebræ. 13. Propter quod & Iesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.

Ad ostensionem iustitiae suæ

Iustitiae suæ, quia deus promiserat se remissurū peccata per Christum.

Præsenti tempore

Hæc enim iustitia est in præsenti tempore. Nam in futuro tempore post hanc uitam iustitia dei est, ut unicuique tribuat secundum opera sua.

Præteritorum peccatorum.

Innuit desistendum à peccatis, & non redeundum ad uomitum: sicut & 1. Pet. 4. Sat enim est uobis, quod anteacto tempore, &c.

Vbi igitur gloriatio?

Dicit usq; adeò iustificationem non sitam in nostris operibus, ut de nullo etiam minimo gloriari liceat. Vnde qui opera habet, non habet quod opponat corā deo, ei qui opera non habet. Fidei uis est excludere gloriationem, & dare iustificationem: operum uero, facere non ad iustificationem, sed ad gloriationē. Fides enim

Cap. III. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

innititur diuinæ misericordiæ: opera autem ad hominē
Esaie 64. referuntur. Et quia omnes iustitiae uel opera nostra sunt
sicut pannus mulieris menstruatæ, non est quod gloriem-
ur in operibus. Sed quid est quod Paulus ad Corinth. dicit: Gloriatio nostra testimonium cōscientiæ nostræ? An non & ipse gloriatur de conscientia? Sanè hic loqui-
tur Paulus de gloriatione coram deo, ut iustificemur:
alio autem loco loquitur de gloriatione coram hominib-
us. Nam operibus etiam coram hominibus iustifica-
musr, eo quod fides occulta est, & soli deo nota. Itaque
corā deo nec gloriamur de operibus, nec iustificamur
per opera. Nā 1. Cor. 4. dicit: Nihil mihi cōscius sum,
& in hoc non iustificatus. Nihil sibi conscius erat apud
homines, sed iustificatus non erat apud deum.

Arbitramur igitur, &c.

Id est, Colligimus & concludimus, fide iustificari
homine n̄ absq; operibus legis, qualiacunq; præcepta
sunt in lege. Origenes hunc locum aperte declarat, dis-
cens, sufficere solius fidei iustificationē: ita ut credens
quis tantummodo iustificetur, etiam si nihil ab eo ope-
ris fuerit expletum. Huius exemplum idoneum arbit-
rator latronem cum Christo crucifixum: cuius cum non
describitur aliud bonum opus, quam quod clamauit:
Memento mei domine, dum ueneris in regnum tuum.
& pro sola hac fide audijt: Hodie mecum eris in para-
diso. Opponatur ergo latro ille alteri abundantī ope-
ribus, & apparebit hic latro iustificatus sine operibus
legis

legis: quia dominus nō requisuit ab eo, quid prius operatus fuerit, nec expectauit quid operis expleret cum credidisset: sed solius fidei iustificatione comitem in paradisum assumpsit. Insuper et mulier in Euāglio Lu. 7. non pro opere legis, sed pro sua fide audiuīt: Remittuntur tibi peccata. Sed fortasse hāc audiens, bene operandi negligentiam arripit? Huic dicitur, quod si quis post iustificationem iniuste agit, sine dubio iustificationis gratiam spernit. Quippe non ideo datur uenia, ut rursum liceat peccare. Indulgentia enim nobis non futurorum, sed præteriorum criminum promittitur.

An Iudæorum deus solus?

Probat conclusionem suam à iustitia dei, qui non habet respectū personarū neq; operum, sed fidei. Omnes ergo iustificat qui credūt, siue s̄nt Iudæi, siue gentiles. At non est quod hinc arguas, quod deus simpliciter saluet omnes gentes: sed quod credētes gentes non minus accipiat, quam Iudæos. Per circumcisōnem intellige Iudæos: per præputium, Gentes.

Legem igitur abolemus? &c.

Obijcis, Facile adducerer in hanc sententiam, ut si de crederem iustificari hominem: sed obstat reuerētia legis. Nam admissō hoc dogmate, conseptancum erit superuacuam esse legem. Et ita faciam illam irritam? Respondet, quod et Christus dixit: Nō ueni soluere legē, sed implere. Vides qd' in Christo adimpletio legis estē

Cap. IIII. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

Qui fidē habet, nihil omittet de lege: qui fidem non habet, frustra omnia opera legis facit. Igitur lex destruitur & per eos, qui sine pœnitentia nō cessant peccare, & tamen de fide gloriātur. Vel etiam per eos qui ignorisunt huius fiduci, etiam si bona opera in speciem faciunt. Ceterū quod 1. Corinth. 4. dicitur: Si quod aboletur fuit in gloriā, multo magis id quod manet est in gloriā. Vbi de abrogatione legis loquitur, scias eam abolitionē esse perfectionē legis: sicut si lux matutina per meridianā perficiatur. Nā quod obscurius & imperfectius in lege, nunc per fidē plenius et clarius adimpletur.

C A P V T Q V A R T V M.

Quid igitur: Dicemus Abraham patrem nostrum, &c.

Prinципalem sententiam suam quod iustifice mur sola fide, exemplo confirmat, & scriptura, & rationibus. Exemplo autem non triviali: neque enim quaevis exempla assumenda sunt, sed ea quae autoritatem à scriptura habent, ut exemplo propter uerbum dei credatur. Proponitur autem Abraham patriarcha, sicut admonet Esaias capite 51. Attendite ad petram unde excisi esitis, & ad cauernam Iaci unde præcisi. Attendite ad Abraham patrem uestrum, &c. Sic ctiā disputat ad Gal. 3. ut hi qui ex fide sunt, filii sint Abrahæ. Et passim in Euangelijs, Matth. 5. Ne dicatis intra uos metipos, Patrē habemus Abrahām, &c.

ham, &c. Matth. 8. prædicūtur multi ab oriente & occidente uēturi, & accubituri in regno Abrahæ. Lu. 16. Lazarus deportatur in finū Abrahæ. Lu. 19. Zachæus filius Abrahæ dicitur. Lucae 8. Iudei negantur esse filij Abrahæ. Proinde maxime idoneum exemplum est.

Quid igitur? Dicemus Abraham pa. &c.

Sensus est: Age, qua ratione dicemus iustificatum Abraham, & quid dicetis probasse deū in Abraham?

Secundum carnem?

Id est, hoc loquor tanquam Iudæus.

Nam si Abraham ex operibus,

Habes hic duplē iustificationem & gloriationem, sicut & supra dictū est, Vbi igitur gloriatio? &c. Causa hie loquitur Apostolus, primum operum Abrahæ coram hominibus laudatorum obiter mentionem faciens. quasi dicat: Hac argumentatione nolo derogare Abrahæ apud homines propter opera eius, fatior eum esse gloriosum ex opibus suis apud homines: uerū nunc sublimiora tractamus, nēpe quis laudatus sit apud deum.

Quid enim scriptura dicit?

Abrahā nō pronunciatur antea iustus, q̄ talis à scriptura declaretur: ut discas interim, quantū ualeat locus ab authoritate negative apud theologos. Non possumus autē negare, quim & Abraham antea habuerit fidē, q̄ exiret de terra & de cognatione sua, Gen. 12. nunquā enim exiūset, nisi credidisset. At scriptura non absq;

Cap. IIII. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

causa ante circumcisionem illum iustum uocat, nempe
ne iustitia circumcisioni tribueretur à posteritate, sicut
hodie etiam nugantur Iudei. Sed neque ante hunc lo-
cum annunciatur iustus, quamvis multa opera fecisset.
Hic enim primum fluctuans eius conscientia uere pa-
cata fuit, cum eductus ē tabernaculo, iussus est numer-
rare stellas, addita promissione posteritatis. Intellexit
enim tunc Christum ex se proditum, per quem cœle-
stis illa posteritas promissa. Nam filij Abrahæ & fide-
les sunt, tanquam stellæ cœli. Vnde & Christus ecclesi-
am regnum cœlorum uocat: & in principio Euangeliū
secundum Matthæum Christus legitur filius Abrahæ.
Ioannis 8. Abraham diem meum uidit, & gauisus est.

Credidit autem Abraham deo.

Credidit deo signanter, nō signis, non miraculis, nō
humanis rationibus: sed deo, id est, ueritati ipsi. Quid
enim iustius, q̄ ueritati ipsi propter seipsum credere?

Et imputatum est ei ad iustitiam.

Opus illud dei, fides inquam imputata.

Ei uero qui operatur.

Locus hic solus sufficit ad euertenda merita nostra,
& similis est, sicut infra: Si per gratiam, iam nō ex ope-
ribus: quandoquidem gratiam non ex operibus. Sin
ex operibus, iam non est gratia: quandoquidem opus
iam nō est opus. Deus enim nullius debitor esse potest,
quoniam & ipsum quod facimus operatur in nobis. Homo autem
semper

semper debitor est, quia per legem incumbit ei necessitas faciendi legem. Vnde hoc quod Luce 17. dicitur: Cum feceritis omnia quæcumq; precepi uobis, dicite: Serui inutiles sumus. non solum ad arrogantiam uitandam pertinet, id quod & præcedentia docent. Nam & plurimorum operum debitores sumus, quam lex præscribit. dicit enim: Quis uestrum seruum habet arantem & pascentem, qui regresso eo ab agro dicat, statim transi & accumbe: & nō potius, para quod cœnem: ex quibus patet deum non esse debitorem, sed nos.

Porrò ei qui non operatur,

Videtur hoc loco manifesta pugnantia esse inter Iacobum & Paulum, quod ille negat iustificatum ex operibus, Iacobus uero afferit: unde de authoritate epistole illius etiam Hieronymi temporibus fuit dubitatum. Possunt tamen ita concordari, quod Iacobus loquatur de iustificatione apud homines, que fit operibus: Paulus uero de iustificatione apud dcm, que fide. Iacobus item magna ex parte de fide facta & mortua loquitur: Paulus uero de uera fide. Et qd'adhuc urget Iacobus, Videtis quomodo ex operibus iustificetur homo, & nō ex fide tantum. loquitur de operibus quæ ex fide procedunt, si operandi tempus adsit. Fides enim nacta opportunityatem, ociosa esse nequit. Perfecta opera sine fide non inueniuntur: fides autem absq; operibus. Vnde sapiens raptus est, ne malitia mutaret intellectum. Objiciunt præterea Cornelium centurionem, cuius ora-

Cap. IIII. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

tiones & eleemosynæ deo placuerunt, quamvis nondū cognouisset Christum: de quo quidā dicūt, opera eius fuisse mortua: ut Chrysostomus sermone de fide & operibus. Verū cum placuerit deo, indiciū est & ipsum placuisse deo, et habuisse fidē, et prætere a spiritu dei actū. Impossibile enim est sine fide placere deo. Et nemo fidē absq; spiritu habet. Proinde corā deo iustificatus erat, sed conscientia cius nondum firmata cognitione Christi, & mysteriorum signis: sicut & de patribus ueteris testamenti credo, quorum pleriq; fidem habuerunt in deū absq; certa Christi notitia: nam & spiritu dei agebantur. Christum autem agnoscere cœperunt, illo scipsum apud inferos prædicante, I. Pet. 4.

Beati quorum remissæ, &c.

Etiam hoc uersu satis exploduntur humana merita, satisfactiones, institutiones, distributiones participationum, & id genus. Beati enim dicimur propter iniuitates remissas. Neq; hic audiendus impius commensator, adiiciens non esse remissionem absq; poena. Nam quantum ad poenam attinet, si conuertamur ad Christum, ipse pro peccatis omnibus satisfecit. Psaltes enim nil aliud subiungit, quam confessionē coram deo, corde tamē non doloso. Præterea in tribus illis uerbis, remittere, obtegere, & nō imputare peccatum, et ubertas gratiae, commendantur nobis, & peccata plene dimissa ostenduntur. Iam de quo dominus poenam sumit, illi adhuc peccatum imputat. Poene autem praesentis uitæ reme-

dit

dia potius, quam satisfactiones dicendae sunt. Per eas enim cautius posthac uiuitur. Fieri potest satisfactionis nomen inoleuisse propter paenam, quibus satisfiebat olim ecclesia.

Dicimus enim quod imputata.

Insinuat, si Abrahæ, qui tot bonis operibus abundauit, sola fides ad iustitiam imputata est, relinquitur nullum alium operibus iustificari.

Quomodo ergo imputata?

Si ab antiquitate gloriandum esset, utique præputiati circumcisiss essent digniores: unde & Zacharie undecimo: Hi qui in præputio erant, quando deus fecundus habebat cum omnibus populis, dicuntur uirga decoris, quam se deus abscidisse dicit, cum esset prior. Hi uero qui in circumcisione, quando deus habuit germitatem cum Iuda & Israël, dicuntur uirga funiculi, quam & ipse præcidit.

Et signum accepit, &c.

Quid opus erat iustificato Abrahæ signo? ut haberet signaculum, id est, certa obsignatione: uel certitudinem ex fide iustificatum in præputio, id est, absq; operibus. Res enim ardua est, & humanum captum transcendens, credere se absque operibus post peccata iustificari: unde confirmatione opus habet homo. Duas ergo utilitates habuit Abraham à signo circumcisionis. Prodierat enim ei, ut fluctuans ipsius conscientia confirmas-

Cap. IIII. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

retur: unde dicit, Signaculum fidei iustitiae. Proderat
deinde qđ iustificabatur apud homines, quod usq; adeo
uerum, ut declaratus sit pater omnium credentij, tam
Iudeorum, quam Gentilium. Vnde sequitur, ut esset pa-
ter omnium: quod intellige sic, ut declararetur esse no-
solum pater credentium per præputium, sed & pater
circumcisionis. Idem usus circumcisionis & Iudeis erat,
quia primum pro se credebant se saluari fide in deum,
cuius arrabonem habebant circumcisionem. Et ita ius-
sti apud deum. Deinde proximos quoq; certos redde-
bant se esse ex ea gente, quam deus peculiariter tanquam
suam & sibi dedicata hoc signo delectā habere uoluit.
Vides ex his manifeste, quis usus sacramentorum, etiā
nostrorum: nempe in baptismo & participatione men-
seseruiunt enim & fidei & charitati nostrae, & ita no-
bis ac proximis, uel coram deo & proximo: nobis ad
pacandas cōscientias exercitamēto fidei: proximis, ut
ex confessione ad ecclesiam nos pertinere agnoscant.
Baptismus enim certos nos reddit, per fidem in Chri-
stum, submersum Pharaonem nihil posse nobis nocere,
dum credimus uerbis dei, que ipse tali signo commen-
dauit. Baptismo testamur etiam alijs admissos nos in
ecclesiam. Sed dicas: Quid ergo opus participatione
mensæ, cum iam in conscientia securi sumus propter ba-
ptisma: & proximi sciant nos dedisse nomen Christo
per baptismum? Huic respondemus, quoniam in multis
studine baptisatorum non desunt qui gratiam coinquis-
cent;

nent: opus est & in istis discriminis, quantum ad proximum: & noua confirmatione conscientiae, quantum ad ipsos penitentes. Confirmantur autem plurimum hoc mysterio, habentes promissionem additam signo, quando fide non in aquam, non in panem, non uinum signa ipsa, sed in Christum ipsum intendunt, cuius caro tradita & sanguis effusus in remissionem peccatorum, iuxta promissionem. Atque adeo caro Christi, & ipse Christus, signum est reconciliati patris, cui interim seruunt panis uel uinum. Insuper & religionis unitas seruatur hoc symbolo, quod eo Christianos a non Christianis, & membra eiusdem Christi dignoscimus: ut simus omnes instrumentatus panis Christi. Hic & alia de pueris prospicitat questio, num & illi circumcisisti patrem habuerunt Abraham? Certe Gen. 17. Nisi oculi sua die circumcidantur, exterminari iubentur de populo: circumcisisti autem inter filios Abraha recensentur. Neque existimandum est in illis mendax signaculum, qui proprium peccatum non habent, nec obseruant gratiae. Sequitur autem, quia circuncisio signaculum est iustitiae fidei, propter fidem parentum, & ecclesie accepisse et illos spiritum sanctum uel ante circumcisionem, tametsi nondum in eis operatus sit, utpote organis nondum idoneis. Satis adeo spiritus sanctus pueris, siquidem a deo non habentur inter filios irae: operabitur autem quando & ubi sibi uisum fuerit per fidem & charitatem. Quod si qui adulti sua ignavia donum dei contempserint, & preputiasibi ascine-

Cap. IIII; ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

rint, agnoscimus illos & iuste à deo non agnitos, quos tales fore præcognouit. Tunc quum res occulta esset, & spes melior, sufficiebat signū: quod quia sp̄reuerūt, condemnant seipsoſ cuius ſpiritus ſint. Nam & dormientes sancti ſpiritu non deſtituti ſunt, tametsi non opere tur in eis. Alioqui quantum ad pueros attinet, eſſet locuſ tertius nec ſaluādorum, nec condenmandorum, quē nescit ſcriptura. Eodem modo & de Christianorum pu eris argumētari licet, quibus & ſine baptiſmi lauacro, naturi peccati remiſſionem & ſalutem polliceri non au demus: beatificamus autem lauacro non priuatos, nec tamen tam crudelem credimus deum, qui in prouidere illis de remedio uoluerit, & condemnare nolit. Omnes alioqui melioris conditionis forent pueri, qui ſub lege, quam qui tempore gratiæ nati. Nam illi liberabantur ab exterminij maledicto, circumciſione & oblatione.

Non enim per legē promiſſio, &c.

Arguit à ratione hæreditatis, quia gratuito hæredi tas hæredibus obuenit: neque à parentibus emi ſolet. Porro hæritas noſtra iuſtificatio eſt, per quam domi nus ipſe hæritas dicitur, & nos quoque hereditas domini. Ita Psaltes: Portio mea dominus. Saluum fac populum tuum domine, & benedic hæreditati tuæ, & cetera. Et iterum, Deus uenerunt gentes in hæreditatem tuam. Ita fideles hæritas ſunt domini, & dominus ipsorum hæritas eſt. Ad Christum autem proprie pertinet eſſe hæredem, quia naturalis filius dei:

& deus,

¶ deus filio omnes dedit fideles in hæreditatem, Psal.
secundo : Postula à me, et dabo tibi gentes hæreditatē
tuam. et cætera. Nos autem per Christum hæredes sis-
mus, et ita etiam Abraham hæres fuit mundi. infra ca.
8. Si filij, igitur hæredes, hæredes quidem dei, cohære-
des autem Christi. Et I. ad Corinthios quarto : Omnia
namq; uestra sunt, uos autem Christi, Christus autem
dei. Vnde sequitur Christianum esse dominum omnium,
et uere liberum, quia semen est Abrahæ. hic enim per
semen, cui hæreditas mundi promittitur, Christum et
ecclesiam nobis denotat.

Sed per iustitiam fidei.

Ioan. I. Dedit potestatem filios dei fieri, &c.

Etenim si hi, qui ex lege, &c.

Accipe hic aliud argumentum à promissione : sic
enim arguit, si ex operibus salus, stulta est promissio.
Consectaneum ergo est ex promissionibus non posse
probari conatus nostros. Nam promissio arguit imbe-
cillitatem, alioqui non esset promissio, sed prædictio.
Hoc enim promittit quod ipse facit. Porro hoc ulterius
probat, quia si aliquid uirium in nobis foret, illud lex
cum promissionibus excitaret: sed experimur infirmi-
ores nos, quam ut legem adimplere possimus, et per
legem magis irrequietos fieri: quod ipsum est peccare,
et uis peccati si inuitus facias legem: et hoc est quod
dicit, legem operari iram. Inuenies autem geminum,

Cap. III. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

modum loquendi de lege. Dicitur enim lex quandoque sancta, ut infra cap. 7. Non nunquam uero non bona, ut Exech. 20. Et hic dicitur operari iram. Est autem lex per se sancta, & bona: euentu autem quodam dicitur operari iram, & non bona. Bona est, quia auferit excusationem, ne quis dicat, Non erat præceptum, uel nesciui. Secundo item bona erat, ut omnes subditos faceret deo. Bona non erat, quia cœpit mihi obesse scire, id quod per infirmitatem nō possum uitare. Nihilo minus tamen etiam huic infirmitati nostræ subuenit deus per gratiam, dum agnoscimus infirmitatem nostram, & facti subditi deo cum fide eius auxilium poscimus: sed tūc aboletur lex, & fit homo non sub lege. Et obserua quanto gradus. Primum sumus ante legem, & sequimur concupiscentiam carnis. Deinde sub lege & inuiti trahimur ad concupiscentiam: quia concupiscentiæ, quæ in uitium nititur, uis quædam accedit per legem: & lex iram operatur, dum quod cognoscimus, exequi nō possumus. Postea succedit gratia, quæ condonat peccata et tribuit iustitiam: sed concupiscentiam quandiu uiuimus, in nobis relinquit: quæ tamen quamvis peccatum dicatur, non imputatur in peccatum. Postremo pacem accipimus abiecta omni concupiscentia, & id in morte ac resurrectione.

Lex enim operatur iram,

Obserua cum diuina lex irritamentum sit peccatorum, quanto magis humane in ijs quæ sunt anime, inefficaces

efficaces sunt? Nec est quod arguat aliquis, Si lex iram operatur, ergo deus ferens legem, ponit offendiculum cœco? Nam deus legem dando, mox & gratiam pollicetur: quod alij legislatores non faciunt. Quid enim ille prestatum possunt animabus?

Idcirco ex fide, &c.

Nihil firmū est in creaturis, nisi quod rei firmæ innatur. Sola autem fide innititur rei firmæ, & ædificamus super petram. Sola igitur fide firma sit promissio, sicut prius arguit à promissione. Et ne quis putet fidem ipsam esse ex nostris conatibus, addit: Secundum gratiam. Sic Ephes. 2. Gratia dei seruati estis per fidem, idq; non ex uobis. Dei donum est, non ex operibus.

Non ei qui ex lege solum,

Videtur duos Abrahams facere, sicut duos Adamos. Abraham secundum carnem, uel ex lege tantum, is expers est benedictionis & promissionis, & re ipsa incircuncisus coram deo: & alterum Abrahamū ex fide.

Qui est pater omnium nostrum.

Gloriari in Abraham non est alia gloriatio, quam si quis confiteatur se esse membrū ecclesiæ. Et hic uideret licet sanctos nobis propositos, non ut intercessores, sed ut exempla uiuendi: ut imitemur eos, non in quauis re, sed fide & charitate. Inuocatur autē & deus in nomine Abraham, ut dum dicimus: Deus Abraham, deus Isaac, deus Iacob. quo magis confirmetur fides nostra.

Cap. IIII. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

Et eandem nobis dei misericordia pollice amur, quam cōsecuti sunt patriarchæ, cum quibus deus sedis imij propter insignem fidem. Hic etiam uides Euangelicum illud Matth. 23. quo præcipitur, ne quæ uocemus patrē super terrā: magis pertinere ad uitandas adulaciones, & spem in carne, q̄ ut homini suis honor denegetur.

Patrem multarum gentium constitui te.

Constitui dicit in præterito, cum Abraham nōdum haberet pueros. Sed mos est scripturæ, ut propter certitudinē promissionis futura per præteritū eloquatur.

Nimirum ad exemplum dei.

Nimirum ad exemplum dei, id est, ut conferatur ali quo modo cū deo. Verus enim Abrahā credidit omnia possibilia, sicut deo omnia sunt possibilia. Et sicut deus uiuificat ea quæ mortua, ita Abrahā credit quod spem excedit. Vnde exponas: Qui præter spem sub sp̄e credidit, id est, qui hoc qđ erat supra spem, sub sp̄e credidit. Ponit autem duo difficillima ad credendum: creationem scilicet, dum dicit, Vocat ea quæ non sunt. & resurrectionem, dum dicit: Qui uiuificat mortuos.

Ad exemplum dei.

Sicut deus est pater omnium, ita Abraham per fidem est pater multorum.

Multarum gentium.

Non solum multæ gentes in semine Abrahæ sunt benedictæ, sed etiam omnes tribus, non tamen omnes ex omnibus

RHOM. IO. OECOL. AVTHORE. 42
omnibus tribubus. Nam ex duobus in uno lecto assumi-
tur unus, & relinquitur alter, Lucæ decimo septimo.

Firmatus est fide.

Faciūt hic discrimen inter infirmā fidem & sanam.
Tu rectius expones eximiam fidem, sicut & nunc dixit,
quod supra spem credidit: & mox, Robustus factus est
fide. Declarat autem eximiam fidem ex sterilitate Abra-
hæ, & Sarrae. Sed dicet aliquis: Quomodo Abraham
habuit tunc mortuum corpus, qui post multos annos
legitur accipisse uxorem aliam Cethuram, è qua genuit
filios? Verum ex hoc magis patet potentia dei, qui in-
stanti uires eius uegetauit, ut & postea ad generatio-
nem non esset ineptus. Commendatur etiam fides Abra-
hæ, quod non hæsitauit petendo signum, sed mox ad au-
ditum uerbi deo credidit.

Dans gloriam deo,

Signum robustæ fidei, in arduis ueritati propter se
credere. Vnde & fides magnū opus esse docetur, dum
ratio uincitur.

Πληροφοριθεὶς,

Pro multis argumentis habuit, deum promisso. Ni-
hil enim dubitabat, quin ea quæ deus promitteret, &
posset & uellet præstare. Eandem gloriam deo debe-
mus & in Euangelico negocio, ut credamus quod qui
promisit se daturū os & sapientiam, cui aduersarij non
possunt resistere: ea procul dubio sit daturus.

Cap. V. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

Propterea imputata est.

Vides quare hæc tā lōga sermonis serie sint proditā
nēpe ut inde colligas, fide & nō opibus nos iustificari.

Non scriptum est autem,

Hinc patet excellentia scripturæ præ alijs. Nam nō
solum historia in illa quærenda est, sed & uitæ utilitas.

Quibus imputabitur.

Abraham iustificatus est ex eo, quod credidit se ha-
biturum filium, ut interim benedictionem aliam transi-
liamus. Nobis aut̄ credendū est auditio uerbo dei, Chri-
stum resurrexisse à mortuis, atq; in illum credere. Re-
surrectionē ponit, ut rem difficiliorem ad credendum:
quam qui uere crediderit, & alia credet. Et præmitti-
tur interim præmium resurrectionis, ut cōmodius insi-
nuetur quid nobis faciendū . Nam sicut Christus tradi-
tus fuit propter peccata: ita propter Christum & nos
abstinere debemus à peccatis. Et sicut Christus resurre-
xit, ita et nos in nouitate uitæ ambulare decebit. Bene-
dicimur autem morte & resurrectione Christi, ut mo-
riatur uetus Adam, & resurgat nouus.

C A P V T Q V I N T V M.

Iustificati igitur ex fide, pacem
habemus apud deum.



Ransit nunc ad opera & fructus fidei, imò
beatitudines, que ex fide proueniunt. Pri-
mum fides iustificat coram deo, ut supra
abunde

abunde dictum. Secundo, pacatas reddit conscientias nostras. Tertio, constantes & perseverantes facit. Quarto concedit ut gloriemur & gaudemus.

Pacem habemus.

Pax illa non est pax mundi, sed cordium, quando certe pollicemur nobis deum esse placatum & amicum: propter quod et nos cum omnibus pacem habemus, etiam cum iis qui nos oderunt. Quamuis autem sentiamus quotidiana pugna, & expositi simus variis afflictionibus, tamen id ipsum maxime pacis indicium fuerit, quod cum deo pacem habemus: qui si pro nobis, quis contra nos?

Per Iesum Christum.

Plus placet simplicitas ueteris translationis. Aditum habuimus. Christus enim ostium est, Ioannis 10. Et uia, uita ac ueritas, Ioan. decimoquarto. Exponit autem per hoc quid sit dicere, Per dominum nostrum Iesum Christum: id est, absq; eo nunquam obtinuissemus id beneficij. Habent & impij nonnunquam pacem, fidentes suis operibus, sed fictam, & momentaneam, quae ipsa irrequietudine periculosior est.

In qua stamus,

Fidei donum est perseverantia ac constantia. Ita infra: Tu autem fide stas. Et Hebræ. 11. cap. Sancti per fidem uicerunt regna.

Et gloriari sub spe.

Ex fide habemus securitatem & fiduciam tantam,

Cap. V. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

ut gloriari possimus non in nobisipsis quidē, sed in deo,
qui talia promisit & dedit. Duplex autē fidelibus occa-
sio gloriandi est. Prima in spe gloriæ dei, quia per arra
bonē spiritus spem habemus futuræ immortalitatis, &
gloriæ apud deum. Et propterea insultamus cum Osea
dicētes: Vbi est mors aculeus tuus, ubi morsus tuus infer-
ne? Nā per spem nobis deuictus infernus, aptum cœlū,
triūphamusq; & sedemus in cœlestibus cum Christo.

In afflictionibus,

Alia occasio gloriandi in aduersis: quia in bonum
omnia cedunt bonis, qui cum tribus pueris in camino
ignis etiā benedicunt dominum. Et apud Esaiam cap.
26. dicunt: In semita iudiciorum tuorū sustinuimus te.

Scientes quod afflictio.

Tantum abest ut aduersa noceant, ut etiam utilia
sint. Nam boni quanto magis affliguntur, tanto magis
patientes evadunt: scientes, quod per multas tribula-
tiones iter est in cœlum. In patientia autem agnoscunt
se probari, ut I. Pe. 1. Quo exploratio fidei uestra mul-
to preciosior sit auro, quod perit, & tamen per ignem
probatur. Probatio igitur hæc consert ad spem ipsam
locupletandam. Cōsiderantes enim nos in tantis acta-
libus non derelictos, confidimus etiam post hac non des-
relinquendos. Nam dum inimici nostri obijciunt, Vbi
est deus tuus? & occurrunt aduersarij, gloriari licet in
cruce, per quam spes augetur. Spes autem niro modo
corro-

corroborat. Et ne quis uanam esse putet, sicut inimicus obicit, habemus certissimum testimonium, quod spiritus sanctus prohibet nobis, Deum nos ualde diligere. Impij autem sicut non habent pacem, ita nec patientiam: nec dicunt cum Davide, Bonum mihi quia humiliasti me: sed obmurmurant, & dum fideles alteram palmarum obuertunt, & benedicunt dominum, illi repercutiunt & blasphemant.

Adhuc enim Christus

Ostendit certa indicia, quibus spiritus manifestat cordibus nostris, deum optime nobis uelle: & secure nos illi confidere. Maximum enim argumentum amoris est, quod filium suum pro nobis dedit, cum essemus peccatores & inimici: id quod credentes & ampliora sperare possumus.

Quum essemus infirmi.

Id est, cum nemo esset, qui humanū genus redimere posset: utpote, cum omnes rei & peccatores essent.

Iuxta tempus.

Id est, predestinato tempore. Noluit autem mox filium mittere post lapsum Adæ, ut cognosceretur peccati grauitas: neque expectauit usque ad consummationem seculorum, ne nimia desperatione animos despondemus. Pro impijs mortuus est ipse innocens, pro his qui mille mortibus digni.

Nam uix pro iusto quis moritur.

Cap. V. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

Illustrat quod dixit. Inter Iustum autem et bonum
hoc interest: quia iustus quamvis uirtute sit praeditus,
propterea tamen ad amorem sui singularibus benefi-
cijs non inuitat. Bonus autem est, qui et uirtutibus pra-
editus, et beneficijs nos prosequitur. Atqui nos neutri
eramus, ut Christum nobis deuinceremus. Non enim
iusti eramus, sed peccatores: neque boni et beneficii, sed
inimici. Arguit igitur sic: Maximū charitatis indicium
est, pro iusto et bono mori: at multo amplius, quod
Christus mortuus est pro peccatoribus et inimicis.

Multo magis igitur iustificati.

Cum mors Christi tam efficax fuit pro peccatori-
bus, quanto magis efficax erit uita eius pro iustificatis,
et his qui nunc a peccatis abstinent, ne timere sibi de-
beant ab ira: id est, in die irae, in die iudicij?

Non solum autem hoc.

Non erit parua spes nostra, sed absque timore, et
cum magna fiducia, ita ut et gloriari possimus, non in
nostris quidem operibus, sed per Christum dominum no-
strum. Obserua hoc loco, quomodo ab apostolis passio
domini recogitetur: nempe, ut eius memoria ad spem et
charitatem extimulemur.

Propterea quemadmodum per unum.

Antea docuit nos omnes esse peccatores, et fide in
Christum iustificari: ulterius inuestigat unde et a quo
peccatores esse cœpimus, et a quo origo iustitiae. Pri-
mus Adam

mus Adam pater nobis fuit peccati, à quo originale hæreditamus peccatū: secūdus Adā Christus, dator est iustitiae. Cōparat autem illos duos inter se & distinguit. Obserua hoc loco originale peccatum fundari, quod paucis satis cognitum. Nam si satis cognosceremus, ad eius uim compescendam perpetuo luctu desudaremus, semper gratiam à domino petentes. Est autem hæreditaria quædam proclivitas ad peccandum, & comites habet cæcitatem & stuporem: amorem sui, odium dei; fugam crucis, odium legis: fastidium proximi, & id genitus. Scholastici post baptismū fatentur quidem remane re somitem & tyrannidem eius, abhorrentes à uocabulo peccati. Verū Apostolus manifeste peccatū uocat etiā cū nō imputatur, quē imitari nō fuerit piculosam.

Per unum hominem

Dicit, sicut per unum hominem incœpit peccatum, ita per unum incœpit & iustitia. Alteram partem similitudinis accipe ex sequentibus uerbis dum dicit, qui typum gerit illius futuri.

Pertransiit in mundum,

Simpliciter expone, cœpit esse, & natum est. Per unum hominem, is fuit Adam, à quo omnis posteritas. & per peccatum mors. Mors ut poena peccati cœpit per unum hominem.

Et sic in omnes homines mors peruersit. Postq; cœpit, paulatim propagatū est in oēs homines.

In quo omnes peccauimus,

Omnes peccauimus non solum imitatione, ut Pelagiani exponunt: sed etiam, quia habitauit in nobis peccatum, quod hereditauimus.

Vscq; ad legem enim peccatum erat,

Probat tam eos, qui fuerunt ante legem, quād eos qui sub lege fuere, peccatores. Nam mors regnauit in omnes: ubi autem mors est, necessario præcessit peccatum: quia, ut dixit, per peccatum mors.

Porrò peccatum non imputatur.

Homines ipsi non putabant se tantum peccare coram deo, etiam si peccarent apud homines: neque tanti faciebant peccatum, sicut post legem, ignorantes scilicet poenam.

Imò regnauit mors in eos, qui nō pec. etc

Id est, in eos etiā qui erant sancti. & non cōtra datā legem peccarunt sicut Adam: peccarūt tamen, unde nō eximebantur à morte. Vel in hoc sancti nō peccauerūt, sicut Adā: quia in Adam fuit integritas naturae, quæ posteritati defuit. Colligere autem licet, Enoch & Eliam nō fuisse exēptos à morte, quāuis cōmunis opinio credit illos adhuc uiuere. Sed quid si trāslati fuerunt sicut Moses, cuius sepulturam deus ignorari uoluit?

At non ut peccatum, ita & donum.

Intermisct hic quædam per hyperbaton, sed tamē ab instituto non aliena. Dicta enim similitudine, dissimilitudinem

militudinem ponit. Ut autem plausibilia sunt, ita legem
ut spem illis confirmes, de qua & supra meminit. Quia
enim atrox facies peccati est, ne animum despondeas
mus, uaria ratiocinatione colligit, Peccatum non posse
uincere dei bonitate & gratiam. Primum igitur si fugi-
gerat hostis, cum peccatum unius tam graue fuerit, ut
omnes illud adhuc luamus facti mortales: quid fiet cum
peccatore multis peccatis obnoxio? Respondet: Non
terres diabole, nam multo magis gratia exuberauit, et
sicut postea, dum dicit: Condemnatio ex unius delicto:
ad condemnationem, fatetur unius peccato introductam
mortem: sed consolatur nos, quod omnia delicta quatuor
cunque illa sunt, unius iustitia, id est Christi morte sunt
abolita, modo uere in illum credatur.

Etenim si per unius delictum,

Item, Si per diabolum obisciatur, quamuis ueru sit
per Christum deleta esse peccata, terrere tamen tyrannum
de peccati per mortem: quia mors & peccatum etiam
regnat in nobis. Respondet, non minus regnare gratia,
immo incomparabiliter peccatum excellere.

Multo magis igitur abundantia grat. &c.

Ad gratiam pertinet remissio peccatorum: ad donum
uero susceptio spiritus sancti, & donorum eius.

Itaque sicut per unius peccatum,

Sit tertio obisciatur de mon ad debilitatem spem, pec-
catum nobis esse ingenitum, & residere in penitissimis

Cap. v. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD
penetrabilibus hominis iterū respondebimus de magnis
fidentia gratiæ, quod & illa maxime interna occupet.

Ita per unius iustificationem in, &c.

Omnes homines intellige credētes. Incredulos enim
non iustificari manifestum est.

Quemadmodū enim per inobedientiam.

Exponit hoc loco, quod sit peccatum Adæ, nempe
inobedientia, per quam factum est, ut & nostra caro in-
obediens sit deo, quandiu non afflatur spiritu sancto. Iu-
stitia Christi fuit in obedientia usq; ad mortem crucis,
& operatur in credentibus, ut iam non inobedientes,
sed obedientes deo esse uelint. Non tamen nostra obe-
dientia quācunq; sit, sufficit ad salutē, quia semper ad-
huc aliquid inobedientiæ adiunctū habet. Cæterū obe-
dientia Christi credentibus imputatur ad iustitiam.

Cæterum lex obiter subiqt;

Probat hoc loco etiam data lege omnes homines fu-
isse peccatores, & magis peccasse, quam ante datam le-
gem. Quia per legē non dabatur homini uis ad imple-
dum præceptum, sed tantū cognoscendi facultas: quan-
to magis autem homo cognoscebat quid faciendum, &
non faciebat, tanto magis reus erat, & ita abundabat
delictum: & id est quod supra cap. 3. dixit, legem ope-
rari iram. Porrò hoc nō solum de lege Mosi intelligas,
sed etiam de ijs quæ per Christum sunt præcepta. Nam
& nos quanto clarius uoluntatem dei intelligimus per
Apostolos,

Apostolos, cum non adimplemus, tanto pluribus digni sumus uapulare plagis. Cæterum etiam hoc loco iterū consolatur, & spem erigit, Nam neq; peccatū sua abundantia, gratiæ præualere potest. et iterum: Maius est regnum gratiæ, quam fuerat peccati. Obserua hoc loco animam nunquam esse reginam, & uere liberam. Nam uel est in seruitute peccati, & ita ui quadam concupiscentiæ sue ruit in peccatum: uel est in gratia, & ita per Christum uincit peccatum.

CAPVT S E X T V M.

Quid igitur dicemus? manebimus, &c.

Pudentis doctoris est ita plantare uirtutes, ne interim suboriantur zizania, & aperiatur fænestræ peccatis. Igitur quia offendit qui dam possent prædicatione gratiæ superabundat is ubi abundat peccatū: & hinc arguere sicut & supra ca. 3. faciamus mala, ut eueniāt bona: hoc est perseueremus in peccato, ut abundet gratia. talibus ignavis respondebat Apostolus aliquot argumentis, docens Christianū & fidelem minime manere in peccato, sed exercere se in bonis operibus.

Qui mortui sumus.

Primum arguit ab officio Christiani hominis: quasi diceret, quomodo audes insimulare Christianum quasi oblectantem se peccatis, cum uita Christiani ex diame tro pugnet cum studio peccādi: Est enim uita Christi,

Cap. vi. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

ni meditatio mortis peccati, non quod semper ante oculos habeat, quomodo mortui expirent, palescant, rige scant, horrere & foetere incipient: sed quod peccatum aboleat, & non obsequatur ulterius concupiscentijs peccati. Dicit Salomon in Canticis: Lauis pedes meos, quomodo inquinabo illos? Quomodo ergo qui mortui peccato, peccato uiuent? Preterea officium Christiani est, ut reparet uitam, quam habuit Adam antequam peccaret: immo, ut sequitur, imitetur Christum, qui non peccauit.

An ignoratis, quod qui baptizati, &c,

Argumentum secundum à uoto & promissione nostra in baptismo, cuius obliuisci planè fuerit turpe. quasi arguat in hunc modum: Quomodo audes nobis impingere peccandi studium, cum in baptismo renunciemus diabolo, mundo, & carni? Et habent quidem Christiani magnam baptismo externo reuerentiam, ne peccatis illum polluāt: sed incomparabiliter maiorem interno, quo sciunt Christi sanguine animas ablutas, quas iterum coquinare formidant. Alioqui propter promissionem in baptismo à peccatis desinere, res indigna Christiano fuerit. Nō enim ideo abluimur (inquit Tertullianus de poenitentia) ut delinquere desinamus, sed quia desimus, quoniam iam corde loti sumus. Cæterū si ab aquis peccare desistimus, necessitate nō sponte innocentiam induimus. At spiritualis baptismi memoria uoluntarios à peccandi studio abstrahit. Vnde & mysterium

pterium baptismi hoc loco aperit.

DE MYSTERIO BAPTISMI.

Quamvis deus sola fide hominem iustificet, quia corde creditur ad iustitiam: & Christus ad iustificationem est omni credenti, ita scilicet spiritu sancto hominem regenerante. Ne tamen uana fide seipsum palpet homo, confessionem quoque requirit deus, quam uera fides nunquam intermittebat. Confessionem autem cum audis, intellige omnia quibus Christianum testari debes. Dicit enim Lucæ duodecimo capite: Qui me fuerit confessus coram hominibus, & ego confitebor eum coram patre meo. Igitur per cærimonialia, & alia opera externa misericordiae & pœnitentiae, confessio fit, quam tantam esse oportet, ut mori potius uelis, quam sic ubi locus postulet, confiteri Christum aliquo opere nolis. Baptismus autem & Eucharistia, quantum ad externa, cæmonia & symbola sunt, in usum confessionis à deo instituta, quibus testamur nos habere fidem in Christum, & ad hoc eniti interiorius, quod illa signant nobis exterius. Semel fit cærimonialis ablutione: sed perpetuum quoad uiuimus, in nobis debet esse studium abluti peccatum, eo quod absq; intermissione in carne peccato originali infecta, peccatum pullulat. Ad hanc ablutionem semper spectandum, quæ est mortificatio peccati. Et de hac loquitur dominus ad Nicodemum Ioannis capite tertio: Nisi quis natus fuerit ex aqua et spiritu, non potest intrare regnum.

Cap. VI. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

cœlorum. Dominus autem Marci ultimo dicens: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, baptisimi nomine ad confessionem nos urget, & perfectam fidem à nobis exigit. Nam qui baptizari non vult, is etiam Christum confiteri non vult.

In Iesum Christum.

Non dicit in patrem, et filium, & spiritum sanctum. Non enim ponit qua uerborum forma simus baptizandi: sed mysterium baptismi mortem Christi dicit. Ita & in Actis hortatur Petrus, ut unusquisque baptizetur in nomine Iesu Christi: hoc est ut aggregetur Christianis. Formam uerborum apostoli non admodum religiose custodierunt opinor.

In mortem Christi.

Hoc mysterium baptismi est, ut baptizemur in mortem Christi: & discamus, quod sicut Christus Iesus mortuus est, ut satisfaceret sua morte pro nostris peccatis, ita & nos moriamur peccato. Mori autem peccato, est non obsequi desiderijs peccati. Cæterum apostolus trium hic meminit: Crucis, sepulturæ, & resurrectionis, in quibus oportet Christianos Christo conformari. Et crucem quidem Christi re ipsa in præsenti uita ferre debemus, sepulturam autem & resurrectionem fide ac spe gerimus. Nunc dicitur nobis: Tollite crucem, & sequere me. & Mortificate membra uestra quæ super terram sunt, Coloss. 3. Vnde idem est crux & baptismus Christiano,

RHOM. IO. OECOL. AVTHORE. 49

Christiano, totamq; uitam nostram crucem & baptis-
mum esse oportet. Porrò sepulturā & resurrectionē
nunc spe obtainemus. Rho. 8. Spe salui facti sumus, &c.

Conseulti etiā sumus cum Christo, &c.

Nimirum perfectum sabbatum feriantes: sed hoc
nulli contingit in hac uita. Esse autem debet nobis per-
petuum studium, ut perfecte erit amur ad domandas con-
cupiscentias. Et ita consepti luntur, qui perfecte renun-
tiant mundo: non magis curantes mundum, quam mor-
tuus uiuentes. Sic & Paulus dicit: Mundus mihi crucifi-
xus, & ego mundo. Et non satis fuerit mortificare caro-
rem, & declinare à malo: sed etiam facienda sunt bona,
ut spiritualiter resurgentem, ambulemus in nouitate uer-
tæ. Arguit igitur hoc loco: Cum baptismus nihil aliud
presignet, q̄ abolitionē peccati: temere nobis obijcitur
quasi predicatione gratiæ, peccandi frenū relaxemus.

Nam si insititiū facti sumus,

Argumentū tertium ab operatione nostra: quæ nō est
nostra, sed Christi potius. quasi dicat: Est in nobis Chri-
stus, cui implantati sumus, qui operatur opus suum: ex-
audes dicere, nos cōniuere ad flagitia? Hoc enim fuerit
dicere, Christum ipsum peccare. Nam cum surculus im-
plantatus, eundem fructū profert quem arbor: nos insi-
ti Christo, Christi quoq; fructus proferemus. Ioan. 15.
Ego sum uitis, & uos palmites. Nam sicut fluxit ex ra-
dice Adæ primi, succus inobedientiæ, ut repugnet cargo

Cap. VI. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD.

spiritui: ita ex radice Christi manat in nos gratia, per Christus ca quam obedimus deo. Est præterea Christus caput nostrum: non sicut principes dicuntur capita populi, quæ nihil efficiunt in alijs sed solum aliquanto sublimius sapient. Ita autem caput est, ut animet totum corpus, & ex eo totum corpus coagmentetur, ut ad Ephes. 4. & sicut naturale caput uitam distillat in membra.

Similitudine mortis eius.

Pro Participes, repetere potes Instituti, persimilitudinem resurrectionis, &c. Subest ibi & quartū argumentū, quo arguit à spe nostra, quasi dicat: Putas' ne nos bona resurrectionis uelle amittere ignavia? Amitteremus autem, nisi imitaremur Christum in similitudine mortis. Et nota, quod non dicitur ibi similitudo mortis Christi, quasi Christus nō sit uere mortuus: sed quod nos ei debemus assimilari p morte: hoc est, ut sicut ipse defunctus est hac uita, ita nos defungamur peccatis.

Illud facientes,

Exponit superius dicta. Sed disce hic modū loquendi apostoli, quid ueterem hominem, & nouum hominem dicat. Aiunt ueterem hominem, quatenus spiritu sancto afflati non sumus. Et bene. Sed quis ille, & quomodo crucifigendus? Inobediens ille deo, & sui commodi affectator. Crucifigamus igitur nostram uoluntatem, & tam nō queramus nostra, quām si non essemus: sed gloriam dei in omnibus spectemus. Nouis autem homo est is qui spiritu sancto afflatus est, & hic obedit uoluntati di-

vine. Voluntati autē diuinae obedire, à Christo est, qui hanc suam obedientiam suis ctiā inspirat: & ita aboletur peccatum, dū non seruitur peccato. Disce etiam hic, quæ sit uera imitatio passionis Christi. quia Christus dicit: Nolite flere sup me, sed sup uosipso. Recte igitur imitatur Christum, si affectiones nostras crucifixerimus.

Etenim qui mortuus est,

Sensus est: Si essem omnino mortuus peccato, iam essem iustificatus quoq; & ne minimum quiddam tibi adhæreret. Proabant hoc dicto baptismū durare usque ad mortem, & tunc demum hominē uere iustificari. Proinde & hoc subiiciunt: Siquidē uera est iustificatio, & consummata in morte, sequitur, quod si purgatorium esset post hanc uitam, esse etiam baptismū quoddam genitus, & nondum peccata uere mortua. Sed tu exponas de studio mortificandi peccatum, quod cum fides in nobis operatur, mortui sumus cum Christo, & spem uitæ eternæ habemus.

Scientes, quod Christus semel,

Sensus est: Sicut Christus perfecte & una morte satisfecit, neq; opus est ut iterum moriatur pro peccatis: ita et nos cū imitari debemus, quod perfecte certemus contra peccatum, dantes operam ne relabamur.

Ita & uos ipso existimetis

Quantū ad baptismū attinet, de se debet unusquisq; hoc sentire, quasi esset mortuus mūdo. & sibi dicere in tentationibus, Cum mortuus sis, quid ad te mundus? In

Cap. VI. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

bonis autem operibus tanquam uiuens deo, alacriter
obedire, eo quod scit illa placere deo.

Per Christum Iesum.

Hoc non fit nostris operibus, sed gratia domini no-
stri Iesu Christi.

Ne igitur regnet peccatum.

Exhortatur ad uitæ sanctimoniam, quo magis dilu-
at quod obiectum, Christianos probare peccatum.

Igitur

Quia tanta promisimus in baptismo, quia tam nobi-
les sumus, & implantati Christo, qui sua opera opera-
tur in nobis, quia tanta bona nobis promissa sunt. Igi-
tur nunquam admittamus, ut in nobis regnet peccatum.

Peccatum

Non unum & alterum dicit, sed procliuitatem ad
peccandum: & hoc est originale peccatum quod habi-
tat in carne nostra, propter quod dicimur peccatores
etiam post baptismum. Relinquitur enim concupis-
tiae illius in carne nostra, sicut Iesu & i in terra sancta.

Ne regnet

Non dicit, ne tentet, uel exerceat: sed, ne uincat, &
primas partes habeat, ex iuncto spiritu dei.

Vestro corpore

Corpus totū hominē uocat, etiā internū. Idem enim
est quod infra dicit, peccatum uobis nō dominabitur. Nez-
que enim omne peccatum in carne est, hoc est, exterius
appa-

apparet: sicut de superbia, & hæresi, inuidia, & simili-
bus patet, quæ intrinsecus latent: quæ tamen & ipsa di-
cuntur opera carnis: & qui ea faciunt, carnales dicun-
tur. Imò Proprie omne peccatum sedem in anima ha-
bet, & exterior homo non est nisi instrumentum.

Mortalí,

Admonet interim nos fragilitatis nostræ. Dicit au-
tem mortale corpus, hoc est, peccabile, & ad secundam
mortem propensum. Corpus enim hoc aggrauat animam.

Ne obediatis concupiscentijs.

Testatur adesse quidem cupiditates, sed bortatur
ne quis illis obediatur: ad quod exponunt illud Genes. 4.
Subter te sit appetitus tuus.

Membra uestra

De externis maxime loquitur, utputa aures ne au-
diant scurrilia: oculi auertantur, ne videat uanitatem:
manus contineatur, ne rapiant: pedes, ne currat ad ef-
fundendum sanguinem: lingua, ne loquatur dolum: & re-
liquum totum corpus sanctificetur. Tametsi & de inter-
nis non indigne intellexeris, nempe ut fel careat ira, cor-
aut uanis cupiditatibus, & prophanis cogitationibus.

Arma iniustitiae,

Arma, id est, instrumenta, organa. Mauult tamen hoc
nomine uti, ut admoneat perpetui belli contra spiritua-
les hostes. Et ut ostendat diabolum nos armis nostris ex-
pugnare, cui occasionem damus per ignauiam ac pecca-

Cap. VI. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD
ta nostra, ut accepta potestate à deo nobis illudat.

Sed accōmodetis

Vera iustitia ab internis incipit. unde dominus dicit:
Regnū dei intra uos est. Vult igitur ut imitantes Abel,
primum nos ipsos offeramus deo, & deinde dona. nub-
lus enim bona opera facit, nisi ipse antea fuerit bonus.
Neq; fructus bonos antea proferet, nisi fuerit arbor bo-
na. Vult insuper ut cū magna alacritate & gaudio nos
offeramus tanquam hi qui carcere soluti, uel è morte
suscitati sunt. Vnde dicit, uelut ex mortuis uiuentes. al-
ludens ad illud Ezeche. 37.

Arma iustitiae deo,

Membra nostra sint arma iustitiae ad confessionē &
contestationem fidei in nobis latentis. Insuper & ad
suam ipsorum humiliationem, quo parabiliora sint ad
seruendum spiritui & proximo.

Peccatum enim uobis.

Post exhortationem cōmendatiuncula magis inci-
tat. Ferme enim sic dicit: exhortor quidem, sed scio &
confido, quod non sitis ex eorum numero, quibus pcc-
atum dominatur. & causam subiungit:

Non enim estis sub lege, &c.

Quandiu uel iniuitus, uel in hominum gratiam, uel
metus aut prēmij respectu facimus ea quae in legē præ-
cepta sunt, semper adhuc sub lege sumus, & nos reos
agere & condemnare lex poterit. Quando autem sci-
entes nos per Christū reconciliatos patri, alacriter &
ponite

sponte facimus ea quæ lex præcipit, facturi ea, etiam si nulla lex posita esset, sub gratia sumus. Et hæc est lex, quam spiritus sanctus in cordibus hominum scribit.

Quid igitur e peccabimus?

Secunda obiectio, Ne quis euangeliū causetur solvere legē, eo quod dicamus, fideles esse supra legē. Nam quia Christus est supra legē, & qui sub gratia sunt, incorporati sunt Christo, et ita cū Christo etiā ipsi supra legē, sed feliciter. Nō enim hoc cedit ad exaggeranda peccata, sed ad sanctimonie augmentum. Arguit autem in hunc modū: Eius quis opera facit, cuius seruus est: uos serui estis iustitiae per gratiam & Christū, ergo etiam iustitiae opera facietis.

Peccati ad mortem, siue ad obedientiam.

Cōtra neutrales duas ponit obedientias, peccati scilicet & iustitiae, mediā ignorat. Interim & libertatē arbitrij q̄ nullasit, insinuat. Aut enim seruus es peccati, et eius tyrannide in peccatum sponte trāsis: uel seruus es gratiae, & operāte per te deo op̄a, gloriosus appares.

Gratia autem deo.

Gratias deo dicit, ne q̄s viribus suis libertatē tribuat.

Obedistis ex corde.

Id est, facti estis spirituales, & ita non habetis opus lege quæ posita est malis. Scrutatis enimunctionem & charitatem, que forma est doctrinæ, in quam traducti estis. Hoc enim mandatum Christi est, ut diligamus in uicem, sicut ille dilexit nos,

Cap. VI. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

Liberi autem facti peccato,

Iterū negat esse mediū:sed necesse est:ut uel bonus sis,
uel malus, frigidus uel calidus:tepidos enim euomit de-
us. Hiere. 24. sunt fucus ualde bonæ, & ualde male. etc

Humanum quiddam dico.

Etiam hoc loco exhortatur, sicut supra, cum possim
multa à uobis exigere. Quid enim non debemus Chri-
sto pro nobis passo? Sed spectas imbecillitatem uestrā,
hortor tantum, si non plus seruitis iustitiæ, saltem tan-
tum seruite iustitiæ, quantum antea seruitis peccato.
Ut autem sponte accendamur ad exercēdum nos in bo-
nis operibus, proponit antithesin ministerij peccati &
iustitiæ. In ministerio enim peccati est priuatio omnium
bonorum, quia seruus peccati liber est iustitiæ: id est, ca-
ret iustitia: quod uel unum solum deterrire deberet à
peccato. Insuper in ministerio peccati est immunditia,
& deinde fructus, confusio, & erubescens: denique fis-
nis, mors anime. Cōtrà ubi seruitur iustitiæ, ibi est ma-
numissio à grauissima illa seruitute peccati, à qua libe-
rari per se magnum est: deinde est traductio in seruitu-
tem dei, cui seruire regnare est. Est autem & pro im-
munditia sanctificatio, pro confusione fiducia, pro mor-
te uita æterna.

Etenim authoramenta peccati mors.

Mors quidem nobis debetur iuste propter peccata.
Vita autem æterna donū dei est, ut scias deū suā donā in no-
bis remunerare. Atq; ita nos deus gratis beatos facit.

CAPUT

CAPVT SEPTIMVM.

An ignoratis fratres,

Alia similitudine adstruit, quod dixerat Christianos non esse seruos peccati, sed iustitiae, & prædicatione euangelij uitij sianuam nō aperiri. Est autem similitudo à coniugij sumpta. Duplex enim ponit coniugium, sicut et duplice posuerat seruitutem. Gerit autem uxor in cōiugio seruilem personam: & cum nos comparet uxori, utrobiq; declarat seruire, atque hac ratione libero arbitrio iterum nihil erit glorie. Habet etiam hic fontem allegoriarum de matrimonij, quorum crebra mentio in scripturis.

(Scientibus enim legem loquor)

Id est, doctis loquor: unde argumentum est Christia nos tunc fuisse exercitatos in lege: uel saltem sciuisse naturam legis, & quantum lex obstringat. Nam quandiu lex durat in suo uigore, tenetur homo eam seruare. Unde legem à ligando dictam uolunt, sicut religionem à re ligando, quod obliget. Vocat autem & peccatum oris geniale, ac ueterem hominem legem propter uim & tyrannidem suam.

Nam quæ sub uiro est mulier.

Coniugia duo ponit: Primum est mulieris cum mari to turpi, & ignobili, procreanteq; monstroso partus. Secundum est mulieris cum pulcherrimo & benignissimo, procreanteq; nobilissimam prolem. Primus uir no

Cap. VII. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

ster est uetus homo, & fomes ad peccandum, uir plane turpis, & qui turpissimos partus procreat, opera carnis: unde per illū infra dicimus fructificare morti. Vir autem secundus, est Christus. Ioan. 3. Qui habet sponsam, sponsus est. Et Matth. 9. Non possunt filii sponsi lugere. & cetera. De hoc sponso intelligitur canticum canticorum. Et Osee secundo: Vocat me uir meus. 1. Corinth. duodecimo: Adiunxi uos uniuiro, &c. Ex illo uiro habemus nobilissimos fructus, nempe fructus spiritus: dum non seruimus per uetus statem literæ, sed per nouitatem spiritus. In litera seruiunt omnes, quotquot in spiritu nō aguntur spiritu dei: In spiritu autem, qui gratis & seruunt. hilariter deo seruunt, non spe præmiorum affecti, nec metu pœnarum territi.

Igitur uiuente uiro uocabitur adultera.

Tractat apostolus hunc locum 1. Corinth. 7. idq; serio: hic autem solum pro similitudine assunit. Animaduerte tamen, quod si mulier discesserit à uiro propter adulterium uiri, iam nō est obligata uiro, Matth. 5. Sitamen Christiana, ualde sollicita erit pro salute uiri, etiam adulteri, pro qua nihil non feret & tentabit. Animaduerte & hoc, quod ius ueteris hominis non ita ligat per omnia, sicut lex coniugij uxorem. Vetus enim homo nō proprie uir est, sed magis adulter. Adā enim iustus creatus est primum: propterea desciscere debeamus à ueteri Adam. Dicitur tamen uir propter tyrrannidem & uim.

Quid

Quid igitur dicemus?

Ex his quæ dicta sunt, emergit quæstio de sanctitate legis. Dixerat enim legem operari iram: & eos qui sub gratia, iam non esse sub lege. Præterea comparat ueterem hominem & peccati somitem legi. Poterat quis suspicari & colligere, legem esse peccatum, et ita blasphemare in Mosen & legē dei. Proinde ut ostendat honestatem legis, respondet, Absit. quasi dicat. Nō dixerim legem, quæ per Mosen data, impiam, cum peccatum sit transgressio legis: sed uelim deplorare infirmitatem & debilitatem nostram hisce uerbis: Nā post peccatum primorum parentum ita uitiata est natura nostra, ut lex à deo data, quamuis uere sancta sit, non solum tamen non iuuet, sed & deteriores reddat. Si autem queris, Quare data fuit olim lex? Respondeo: De bebat homo absque lege deo hilariter seruire omnibus suis affectibus: uerum ut peccator erat, non cognoscebat malitiam suam, quod tanta pronitate ad peccandum ferretur. Posita igitur est lex, ut cum uideret se illam non posse implere, agnosceret se infirmum, & plane impium, eo quod affectu repugnaret spiritui: atq; ita desperans de suis uiribus, ab optimo deo peteret auxiliū: & accepto diuinitus spiritu, faceret quod carnis negabat infirmitas.

Sed peccatum nō cognoui, nisi per legē.

Hoc unum præstitit mihi lex, ut aperiret mihi oculos ad cognoscendum peccatum; hoc est, peccatrice illā &

Cap. VII. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

*sauciū naturam, hominib⁹ fermē semper occultam.
Tantus enim ante legem erat stupor, ut ab externis &
hypocriticis operibus metirer sanctimoniam, & mihi
ipſi incognitus eram, quod tam turpis, infirmus & ab-
ominabilis essem: uerum quod scio nunc habitare in me
peccatum, hoc debo legi. Ante legem nullam faciebam
conscientiam super concupiscentia prohibitorum, &
odio legis: nunc post legem, quia illa uideo esse in me, et
dispicere deo, necesse est ut fatear me esse peccatorē.*

Occasione autem accepta, peccatum.

*Quæreret quissimam: Nibilne profuit tibi lex ad emē-
dationem tui, postquam cognouisti te esse peccatorē?
Dicit nihil se à lege emendatum, sed excitatum, & in-
flammatum ab ea ad peccatum: hoc est quod dicit, Pec-
catum genuit in me concupiscentiam: id est, peccatrix
mea natura & contumax legem esse indignabatur: &
que antea peccabat simpliciter, accepta lege cum odio
legislatoris peccare coepit. Et sicut Cain male diuide-
bat, externa opera faciens, animum aut à deo auertēs.*

Siquidē sine lege peccatum mortuū erat.

*Hic mortuum esse, non est idem quod non esse, uel no-
imputari ad peccatum: sed peccatricem naturam non
ita irritatam, neq; ita territā à lege. Antea, inquit, non
eram notus mihi, quod ita regnaret in me peccatum: si-
cūt pharisei secura & tranquilla conscientias sunt iusti-
ficantes scipios, & placentes sibi. Nam quia legem &*

tim legis non cognoscunt, neq; terrentur, neq; confunduntur ab interna sua foeditate.

Ego autem aliquando uiuebam sine lege,
Intelligas, quo tempore phariseum ageret, nondū
cognita ui legis, quæ omnes uires requirit.

Porrò ueniēte mādato peccatum reuixit,
Id est, cognita ui mandati, reuixit uis peccati: id est,
conscius factus sum, quātum rebellet caro mea spiritui.
Et apparet quanta in me pronitas peccandi.

Ego autem mortuus sum.

Ex eo tempore didici, quām nihil possint omnes hu-
manæ uires, et me esse infirmū, ac mortuum. Vide hoc
loco quantum ualeat liberum arbitrium.

Hoc esse ad mortem,

Et non solum uidi corruptas uires animi, sed etiam
me non esse curabilem simplici remedio. Nam remedium
legis, quod uiuificare debebat, tam non proficiebat, ut
etiam ad mortem cederet.

Nam peccatum occasione accepta,

Quomodo cederat ad mortem? Hoc modo. Nā pro-
nitas peccandi, id est, peccatrix natura, quæ intra me
est, ut intellexit sibi modum ponī, et se refrenari, non so-
lum nō fecit bonum, sed etiam addidit malum: ut sciam
me magnū peccatorem, qui antea iustum me putabam,

Itaque lex ipsa quidem sancta est.

Cap. VII. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

Nihil queror de præcepto uel lege, quæ non solum
sancta est, quia à deo sancta tradita: sed etiā iusta, quia
ea præscribit quæ deo debetur. Deniq; & bona est, q;æ
multa secū nobis affert cōmoda, si illam seruauerimus.

Ergo quod bonū, mihi factum est mors?

Aliam mouet quæstionem. Diceret enim quispiam,
Pugnas tibi ipsi o Paule. Quomodo dicis legem bonā,
cum eandem videaris dicere authorem mortis? Hæc-
ne scilicet legis cōmoda? Respondet: Absit ut hæc sic di-
cam, & legi meam miseriam acceptam feram: sed tri-
buo hoc peccato, & peccatrici naturæ meæ, quæ opti-
mum pharmacum legis reiicit, & quod ad salutem da-
tum, sibi in uenenum conuerit. Legem bonam fateor,
sed peccatricem meam naturam tātē bonitatis nō esse
capacem doleo. Nam illa mortem parit, non lex.

Vt fieret maiorem in modum,

Quomodo gignit mortem uitiata caro, uel peccatum?
Quia post præceptum non solū non desino peccare, sed
& amplius pecco. Vnde nulla relinquitur mihi excusa-
tio, dicorq; peccans peccatum, idq; per excellentiam.

Scimus enim quod lex spiritualis est.

Manifeste suo exemplo probat, quomodo in malum
cedat lex, sua tamē culpa: quo etiā declaratur, sanctos
Lex quare spiritualis dicuntur, quia allegoricas in se cōtinet senten-
cias: sed quia spiritu exigit, & uult ut omnia faciamus,

sicut

sicut spirituales. Nisi enim factus fueris nouus homo, et regeneratus per spiritum, ne apicem quidem adimplabis in lege: ubi autem acceperis spiritum Christi, qui est impletio legis, tunc te nulla lex accusare poterit. hoc qui sciunt, nequaquam cum phariseis de suis operibus gloriabuntur. Obserua tamen, quod non idem est dicere, legem esse spiritus, & legem spiritualem esse. Lex enim Mosi dici potest spiritualis, quia affectus exigit, sed non vires praestat adimplendi legem. Nam lex spiritus, lex est fidei: ut infra patebit.

At ego carnalis sum.

Ego quatenus mihi relictus sum, & iuxta primā generationem ab Adam, carnalis & crassus sum: non spe cto gloriam dei, fugio crucem, amo commoda propria: & non solum carnalis, & sicut minister addictus carni, sed sicut empticum mancipium, qui non possum suffugere imperium domini, et facio quicquid caro imperat. Lex spiritualem requirit, ego autem carnalis sum: lex uult liberum, ego autem captiuus sum. Carnales sumus in peccato Ad.e, qui perdidit innocentiam, eo quod in illo peccauimus omnes: cognouimus autem per legem nos esse uenditos. Esa. 52. Quia gratis uenditi estis, & non in argento redimemini.

Quod enim ago, non probo.

Non introducit apostolus alienam personā, sed suā propriam, dicit autem: Quod ago, in carne scilicet, immo

Cap. vii. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD
probo per legem, & odi spiritu. Et agnoscit in se ad-
buc Apostolus etiam iustificatus peccatum, & peccan-
ti cupiditatem.

Non enim quod uolo, facio.

Hic apparet uitam iustorum esse perpetuam pale-
stram: impelluntur enim à spiritu sancto ad facienda bo-
na, sed obstat caro, & deformat opus. Iustus cupit ages-
re bonum opus optime: sed cum considerauerit quale
illud sit, inuenit multis modis uitiatum, & non factum
sicut uult, & dicit lex dei, & proinde non probat: at-
tamen interim licet ipso inuitio admisceat se aliquid im-
purum & ingratum, nibilominus adnititur facere opus
legis, quo studio testatur legem esse bonam. Exemplū
habes in precibus, quas quis cupit absq; euagatione mē-
tis deo dicere, & prætersententiam suam uariis cogi-
tationes admittit.

Nunc autem ego non perpetuo illud.

Quod opus sanctum non legitime fiat, in causa est
peccatrix nostra natura in nobis habitans, & suam ty-
rannidem exercens.

Noui enim quod non habitat in carne.

Id est, re ipsa experior, quod non solum habitat in
me peccatum, sed etiam non habitat bonum. Nam scio
naturam ita uitiatam, ut quamvis spiritus aliquid reue-
lauerit, & concesserit uelle, tamen oppugnet caro, de-
sintq; uires ad perficiendum, nisi idem spiritus perficiat.

Porro

Porrò si quod non uolo facio.

Sensus est: Ex hac inobedientia satis appareat, quod si fecero bonū opus negligentius, cōtranitente bona uoluntate, illius negligentiae causa est inhabitās peccatū.

Delectat enim me lex.

Ex hoc loco manifestum est, Paulum hæc in sua persona dixisse, quamuis esset iustificatus. Non enim delerat lex dei, nisi iustificatos.

Video autem aliam legem,

Dispensatione dei, ne superbiamus, tyrannis uel imperium ueteris Adæ precipit contraria legi dei. Lex dei uult, ut colam deum super omnia: lex quæ in membris, iubet ut cōmoda propria sequar. Lex dei uult, ut diligam proximū sicut me: at lex naturæ dicit, charitatem à scipso incipere. Vide aut̄ ut seuiat lex carnis, rebellat enim legi dei. Neq; hoc satis uidetur, nisi per legem datum nūhi in remediu, captiuū me faciat legi peccati, hoc est sibi ipsi. Peccatū enim hic uocamus uitiatā naturam: legem aut̄ eius, impetu sauciae naturæ in membris & affectibus. Paucis, ipsa peccatrix natura suo imperio sibi me uindicat, & à mandato dei auellit.

Miser ego homo.

Deplorat scipsum, & haec est uera & perpetua causa deplorandi nos ipsos. Alibi solet Apostolus gloriari in paupertate, in ignominia, in afflictionibus: et similibus. carnis aut̄ inobedientiā luget: & non solū dicit se infi-

Cap. VII. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

*mum uel captiuū, sed planè miserū, et omni auxilio ali-
oqui destitutū: hoc est quod et David deplorat: Heu mi-
hi, q̄a incolatus meus prologatus est. Et Esa. 59. Rugie-
mus ut ursi, meditabimur ut colubra, quia nō est iudiciū.*

Ex hoc corpore morti obnoxio.

*Id est, proclivi ad peccandum, sicut & supra dixit:
Ne regnet in mortali uestro corpore peccatum. Vel sim-
pliciter: Quis liberabit me à morte illa, & graui illa
miseria? Potest & corpus mortuum appellari, quod dor-
mit ab actibus interioris uitæ, & mortuis simile sit.
Nā licet quorundam fides deo uere uiuat: ut est in infan-
tibus & imbecillibus in fide, mortua tamen est interdu-
cta uita proficiētiū de uirtute in uirtutē. Et ita corpus
suum Paulus uocat corpus mortuum propter peccatum. In-
quantum enim corpus quod corrumpitur, aggrauat ani-
mam, & deprimit sensum à cogitatur rerū meliorū, in-
tantum corpus est mortuum. Et idcirco etiam nos dicimur
mortui: & consequenter fides quoq; dicitur mortua:
quia fides dum non operatur per dilectionem, quantum
ad illud opus quod facere debebat, mortua dicitur. Et
ita quis posset etiam illud Iacobi exponere: Fides absq;
operibus mortua est. Sed præstat quam simplicissime
scripturas exponi.*

Gratias ago deo meo,

*Apostolus circumspectans seipsum cum suo libero ar-
bitrio, & uiribus reliquis, per omnia destitutū se inue-
nit, & in sola gratia Christi, qui dat ut uincamus, sal-
uari*

uarise posse cognouit: unde & gratias dicit deo.

Itaq; ego mente seruio legi.

Epiphonema est in hunc sensum: T alis est cōditio hominis, ut quatenus illustratus fuerit spiritu sancto, seruat deo: quatenus aut̄ sibi ipsi relictus, seruat peccato.

C A P V T O C T A V V M.

Nulla igitur nunc condemnatio.

Postquam de natura peccati egit, & carnis: id est, humanae naturae misericordiam deplorauit: incipit nunc de gratia docere, quae nos liberat de corpore mortis, & facit ut peccata, quae nequit uitare humana imbecillitas, deus ignoscat. Est autem gratia, non qualitas quedam animae, ut hactenus doctum est: sed fauor dei, quo uel ex filiis irae sunt filii regni, uel conseruantur in numero filiorum, qui sunt filii regni. Fauor autem ille in filios, est ex fauore dei in Christum, natura filium dei: de quo pater dixit, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum. Vnde omne nostrum meritum est in Christo, qui nostra iustitia est. & abstulit peccata mundi, ut est 2. Cor. 5. Eum qui non nouerat peccatum, fecit pro nobis peccatum, ut efficeremur iustitia dei per illum.

Nulla igitur condemnatio, &c.

Si nulla est condemnatio, igitur nec culpa imputabitur, neque pena exigetur. Consecutaneum etiam est quod hi qui fide defunguntur hac uita, ad purgatorium quod commenti sunt, non transeunt: sunt enim illi in Christo.

Cap. VIII ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

Iesu per fidē. Ita 1. Ioan. 1. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est deus et iustus, ut remittat nobis peccata.

Qui sunt in Christo Iesu.

Christus enim uitis est uera, in qua quisquis mansevit, afferet fructum multum, Ioan. 15. Sed obijcis: Satis igitur erat dicere, Iis q̄ sunt in Christo Iesu: neq; opus erat addere, Qui uersantur iuxta sp̄iritum. Verum hoc adiicit, ne quis uana spe semetipsum seducat, & fictitiā fidem pro uera habeat. Sic & Ioannes in epistola sua quum diceret, Omnis qui manet in eo non peccat. diligenter simul admonuit, ne quis se seduceret.

Iuxta sp̄iritum.

Iuxta sp̄iritum uersantur, qui ambulant iuxta nouū affectū, legem absq; imperio legis facere paratum, & peccatis repugnantem. Iuxta carnem uero ambulant, qui omittunt ea quae lex pr̄cipit: uel etiam, qui ea faciunt quae lex pr̄cipit, sed inuitus, atq; adeò ut uellent non esse legem. Quotquot autem tales sunt, ad Christum non pertinent, quatenus carnem sectantur.

Lex enim spiritus uitæ in Christo.

Queris, quomodo nulla est condemnatio? quia filius, cui pater omne iudicium dedit, reddit nos liberos à iure, id est tyrannide, peccati & mortis. Non dicit autem, quod omnino liberet nos à peccato & morte: sed tantum à iure peccati & mortis, ne scilicet damnoſe sint proclivitas peccandi & mors.

Lex

Lex spiritus.

Idest, gubernatio uitalis spiritus, quem suppeditat Christus, non solum admonens nos exemplo mortis sue ad charitatis opera facienda, sed etiam operans illam in cordibus nostris. Ex hoc spiritu profluit gaudiū in adversis, securitas in medijs periculis, spes in his quæ sunt præter spem.

Etenim quod lex præstare non potuit.

Hoc est, quia impossibile erat homini suis uiribus implere quæ in lege sunt præcepta: propterea misit deus filium suum, per quem iustificaremur, & legem impleremus. Nam propter illum non imputantur ea, quæ olim peccauimus, & datur gratia ac spiritus, ut hilarianter deinceps mandata eius faciamus. Ceterū hic te non moueat uulgare dictū, Anathema esse, quod deus præcipit impossibilia: uerum enim esset, si quis secluderet gratiam dei, cum qua omnia possumus, & sine qua nihil possumus quam peccare: quod uerius quis dixerit, non posse. Et quia tanta est infirmitas nostræ nature: lex literæ occidit, spiritus uiuificat, 2. Corinth. 4. cap. Quod autem ita infirmissimus, unusquisque in seipso agnoscere poterit. Lex præcipit amare inimicos ex toto corde. Item uult, ne sit nobis cor lapideum. Sed cognosce te ipsum, an quis cor tuum mutare possit præter deum. Non minus enim est, quam si quis mortuum suscitaret, uel cæcum illuminaret.

Cap. VII I. ANNOT. IN EPIST. PAVL. AD
Per carnem.

Carnem, totū hominē intellige gratia destitutum.
Opponitur enim hoc loco caro spiritui: unde nō potest
parti hominis attribui. Eneruatur etiam hoc loco libe-
ri arbitrij uis ad faciendū bona: sicut & mox in poste-
rioribus, cū dicit: Affectus carnis mors est, & legi dei
non subditur: siquidem ne potest quidem.

In similitudinem carnis peccati,

Hic Valentinus & Marcion sumunt argumentū, qd'
Christus non habuerit uerū, sed phantasticum corpus.
Atqui Apostolus nō negat, Christū habuisse uerā car-
nem, quamuis dicat similitudinem carnis. Negat autem
habuisse ueram carnem peccatrixē: quia caro eius non
fuit peccatrix, quamuis fuerit similis nostræ, quæ pec-
catrix: sed in hoc habuit similitudinem, quia Christus
mortuus descendit ad infernum: quod nō uidetur esse, ni-
si eorum qui uere peccatrixem carnem gestant: quia sti-
pendium peccati, mors. Et ob hanc rationē, Num. 21.
comparatur serpenti æneo, qui habebat speciē serpen-
tis, & uerus serpens nō erat. Et Deut. 22. dicitur, Ma-
ledictus omnis qui pendet in ligno. quod intellige de
Christo, non quod pro se, sed quod pro nobis fuerit fa-
ctus maledictum coram deo.

De peccato damnavit peccatū in carne,

Id est, per hostiā, uel sacrificium corporis, quod di-
ctum fuit peccatum: condemnavit, id est, uim ademit:
peccatum, id est, tyrannidem peccandi in nobis. Solet
enīm

enim in scriptura etiam sacrificiū peccatū dici, ut Osee
quarto: Peccata populi mei comedēt sacerdotes. Et ita
mors Christi, quia sacrificium fuit, peccatum dicitur.
Condemnauit autem peccatū hoc modo, qui et innocens
fuit caro Christi, et mortua, perinde ac uerc peccasset.
Condemnatum est peccatum, id est, factum est odiosum,
et abominabile, ita ut spiritus dicat in nobis: Ecce pro
pter te mortuus est filius dei, ille innocēs et immacula
tus dei filius, ut post hac te abstineas à peccato, dimit
tanturq; tibi priora peccata. Quid peius igitur pecca
to? et quare denuo redires ad peccatum? Hic spectan
dum est, quale sit sacrificium illud, et quanta charitate,
quantisq; doloribus, et quanta innocentia sit oblatum,
ut sponte prosilias ad beneficiendum proximo, Christi
charitate motus. Hec animi promptitudo ex spiritu
Christi est, et plenitudo legis. Et hoc est quod dicit, ut
iustificatio legis impleretur. Charitas enim talis im
plet legem.

Quæ carnis sunt sapientia.

Tripli citer distinguit inter eos, qui destituti sunt
gratia, et qui gratiā sunt assequuti. Gratia carent car
nales: hos definit, quod sapientia et quæ sunt carnis, id
est, se tantur sua ipsorum comoda: quod non solū de ex
ternis intelligas, sed etiā de internis. Nā quicunq; illi
sunt, qui sibi ipsis placet in donis spiritus, ut sunt sciens
tia, patiētia, et similia, uere carnales sunt. Spiritus iles
autem et gratiam assequuti, sunt hi qui querunt ea

Cap. VIII. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

quæ spiritus, id est, ea quæ sunt dei. Nam licet queras quod ad interni hominis decorum facit: ut est, meditari uel orare, & non retuleris gratuito in laudem dei, neis tiquam eris spiritualis. Oportet enim ut renuncies omnibus, etiam internis, & in te operetur spiritus dei.

Affectus carnis mors est.

Secunda distinctio ex fine. Nam quicquid agunt carnales, mortale est, eo quod non respiciunt deum, qui est uita, & fons uitæ: quod uero agunt spirituales, uitale est, & uitam adfert.

Affectus carnis inimicus deo.

Tertia distinctio, quia carnales inimici sunt dei. Nam quia oderunt legem, per consequens etiam oderunt legislatorem. Spirituales uero amici sunt dei, & proinde grati deo, & filij, ac templum dei dicuntur, &c.

Legi enim dei non est subiectus.

Cauendus est hoc loco Marcionis & Manichæorū error, qui naturā quandam aduersariā, & contra militantem deo esse dixerunt, que cōdita esset à deo malo. Affectus enim carnis ideo dicitur contrarius deo, quia subtracta gratia iam nō sectatur homo quæ digna sunt deo, nihilominus tamē deus etiā illā malitiā expugnat.

Vos autem non estis in carne.

Incipit blande exhortari & à laudibus, ne in numero peccatorum & carnalium numerari se credant: de quibus dixit, quod sectetur ea quæ carnis, digni morte,

ac inimicis

ac inimici dei. quasi dicat: Non numero uos inter carnales illos, sed spirituales. Esse in carne, est esse in operibus carnis: sicut et infra, Caro & sanguis non possidebut regnum dei. Non enim dominatur substantia carnis, sed opera: nec reatus substantiae, sed conuersationis. Stulte quidam hoc loco coniugium sacerdotum impugnant, quasi scilicet Paulus non scripsit coniugatis, & que ac cœlibibus.

Siquidem spiritus dei habitat in uobis.

Iterum ne adulari uideatur, dicit, quomodo illos laudarit. Sed ut sciamus quomodo spiritus dei habitet in hominibus, obseruanda est uaria acceptio nominis spiritus. Crassissime nomen spiritus pro uento & anhelitu accipitur in scriptura. ut Ioannis tertio capite: Spiritus ubi uult spirat. 1. Cor. 14. Psallam spiritu & mente. Et nonnunquam pro re nibili & uana, ut Esaie uigesimali sexto: Concepimus, & peperimus spiritum. Sed de his nihil ad propositum. Nonnunquam & pro angelis uel daemonibus accipi solet. Quantum uero ad propositum attinet, de spiritu sancto mentio est, qui unus deus cum patre & filio. Et uocatur hic spiritus dei, spiritus Christi, & spiritus eius qui Iesum suscitauit a mortuis: quod idem est dicere. Appellatur autem & nonnunquam a donis suis: ut cum dicitur spiritus adoptionis uel sanctificationis: id est, spiritus qui adoptat & sanctificat. Sed & dona spiritus, spiritus dicuntur: ne

Cap. VIII. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

spiritus sapientie & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis: ut Esaiæ 11.

In uobis.

In illis habitat spiritus dei, quos facit ex filijs iuræ, filios pacis per fidem. Nam quantum ad naturam suam, est ubiq; : sed quos tales facit, speciali modo gubernat: ita ut agnito beneficio Christi, idem spirent, sapiant, ac uelint, quod ille, qui ex inaniuit semetipsum in seruitutē nostri. atq; hi gratiam & charitatem habent.

Quod si quis spiritum Christi non habet.

Hi soli ad Christum pertinēt, qui characterem Christi gerunt. Vnde uerum est quod dominus dicit: Multi sunt uocati: pauci uero electi. Nam quicunq; non tollit crucem suam, & illum se sequitur, non est eo dignus: quia spiritum eius nullus habet, nisi qui sublata cruce illum sequitur. Similiter, qui non omnia relinquit propter Christum, non erit eius discipulus. Vnde non loquitur hic de dono miraculorum, uel de spiritu sapientiæ Christi, uel de alijs eius gratijs: sed eo spiritu, quo omnes Christianos preditos esse oportet. Spiritus Christi erat uelle crucifigi, & abolere hominem ueterē. Mortuus est enim propter peccata nostra, hoc est, ut desistamus à peccatis: sicut mox declarat.

Sí autem Christus in uobis est.

Dicit indicium spiritus Christi esse, abolitionē corporis, & innovationem uitæ in spiritu. Vocat autem corpus mortuum

mortuum, non quod affectus mali simul omnes emori-
antur, quia hoc nō cōceditur nobis in hac uita: sed quod
perpetuum studium mortificandi affectus malos, et mē-
bra quæ super terram sunt, habent fideles, quandiu du-
rat hæc uita: & per hoc deprehendes inhabitare in ho-
mine Christum.

Quod si sp̄iritus eius, qui suscitauit, &c.

Mercedem ponit Christianæ uitæ, quasi dicat: Si ita
feceritis uoluntatem Christi, sp̄iritus eius hoc operabit-
tur in uobis: ut quemadmodum impossibile erat detine-
ri Christum in inferno, & perpetuo iacere desolatum
sanctum illud templum dei: ita & impossibile erit uos
non resuscitari: quia est is templum dei, quod sp̄iritus
qui inhabitauit, non relinquet inexcitatum.

Propter inhabitantē sp̄iritū eius, &c.

Vides unde gloria resurrectionis? quia non tribuit
eam meritis, sed spiritui habitanti in nobis.

Debitores sumus, non carni.

Diluit & eorum obiectionem, qui ociosos dicunt
credentes, & irrident dicta hæc dicendo, Sinamus igit-
tur sp̄iritum operari: cum perpetuo extinguant sp̄iritum.
Respondet, & dicit: Debitores sumus: quia sp̄iritus
est in nobis, non debemus esse ociosi, sed obsequi sp̄iri-
tui, quicquid ille iusserit. Carni uero nequam su-
mus debitores: sed facta eius, id est affectus, mortifica-
re debemus.

Cap. VIII. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

Si autem spiritu facta carnis mort. &c.

Affectus carnis mortificantur studio contrario. Nam
spiritus docet humilitatem, ut domet superbiam: docet
frugalitatem, ut tollat auaritiam: & sic de similibus.

Qui spiritu dei aguntur, filij sunt dei.

Spiritus facit, quod infirmitas nostra prestat non
potest. Trahit autem non inuoluntarios, sed interna qua-
dam suauitate. Et trahit ad imitandum exemplum Christi,
qui obediuit patri usq[ue] ad mortem, ut eius gloria in-
notesceret in toto mundo. Vnde etiam filij dei dicuntur
sic traxi, quia regenerantur per spiritum Christi. Et si
icut ille natura est filius dei, ita ipsi adoptione.

Non enim accepistis spiritum seruitutis,

Seruitutis spiritum accipiunt, qui solo timore ac me-
tubere agunt: et illi dicuntur iterum esse sub lege, quia
lex data fuit cum terrore, ut est Exodi 19. Spiritum au-
tem adoptionis accipiunt, qui libere ac hilari animo ope-
ra legis faciunt. Et quia acceperunt spiritum Christi, de-
um ut patrem inuocant, sicut Christus.

Per quem clamamus, Abba pater.

Pater nomen charitatis est, quo appellamus deum
propter magnam fiduciam: & non appellamus ultra
dominum, quasi timentes illum seruili timore, & acce-
dere non audentes. Porro cum deum patrem appella-
mus, testamur quod nihil nobis debet, sed sola benignis-
tate eius uiamamus.

Ipse

Ipse enim sp̄iritus testimonium reddit
spiritui nostro, quod simus filij dei.

Exponit seipsum, quid sit clamare, Abba pater. Ha-
bere enim fiduciam bonam, quod deus paternus nobiscum
agat, et acturus sit propter Christum, quem imitari cu-
pimus, certissimum testimonium est gratiae & charitatis,
& quod filii dei simus. Vnde unum est quod quidam
tradiderunt, Ignorare nos an in gratia simus, uel non.
Tales nimis nunquam orauerunt in spiritu, Pater noster.

Si autem filii, & haeredes.

Propter eundem spiritum, quæcunq; sunt Christi,
eadem sunt et nostra. Igitur Christi iustitia, sanctitas,
innocentia, haereditas, & alia quæq; nostra sunt.

Siquidem compatimur.

Vnica ad salutem via est per crucem, sine qua non in-
tratur in gloriam dei. Et in hoc potissimum ostenditur
spiritus Christi, si & hic uoluerimus esse conformes im-
ginis eius, hoc est ferendo crucem cumsequi.

Existimo enim quod non sint.

Si quis obijceret, Ridiculum uideri illum esse filium
dei, qui letantibus malis in hoc seculo, affligitur. Re-
spondet, Non esse respiciendum ad ea, quæ patimur in
hoc seculo: nam hic occulta est gloria filiorum dei, sed
in futuro seculo reuelabitur. Vnde multas consolatio-
nes & beneficia ordine ponit, à quibus consolationem
accipiunt hic, qui sunt filii dei. Primum consolatur à

Cap. viii. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

breuitate huius uitæ. Neq; enim conferendum est eternum cum momētaneo , neq; purissimum gaudium cum interpolata tristitia. Interpolatam tristitiam uoco eā, quæ aliquid cōsolationis admixtum habet. Nulla enim tanta fidelium est tristitia , quin consolatione quapiam temperetur. Sed neq; passio leuissima, quæ infertur nobis à creatura , comparari potest cum gaudio summo, quod à creatore ipso accipitur.

Nam expectatio creaturæ,

Alia consolatio . quasi dicat : Ecce omnes creature propter hominem conditæ sunt, ut ciseruant. Homini enim sol lucet, terra fructificat, ignis calefacit, & nullæ non creature hominem agnoscunt ut dominum, ut ipse & deum agnoscat dominum. Cum omnes illæ gemant, doleant, parturiant, & liborent propter hominem, ut ad finem suum ille perducatur : cur non & ipsem et solicitus esset, laboraret, & equo animo ferret afflictionem? Dicuntur autem creature expectare, nolle, congemere, parturire : non quod sensitiae sint, sed tropo quodam sermonis: sicut & laudare dominum dicuntur, eo quod faciem præ se ferant dolentium, repugnantium, & parturientium, & cetera. Unaqueque enim res in statu permanere uellet incorruptibili, que madmodum dicimus omnia appetere Esse, & uitam. At qui deus alter ordinavit, ut corrumpantur & alterentur nunc in utilitatem hominis . Quid enim opus habet arbor tot fructibus, uel gallina tot ouis? & ita de ceteris creaturis.

Vis. Nónne hæc omnia propter hominem sunt? Vbi autem homo seruitute illorum opus non habuerit, deus etiam cæteras creatureas nobilitabit, & liberabit à seruitute corruptionis, ut et ipsæ sint incorruptibiles: atque ita cœlum & terra dicuntur transire.

Vanitati enim creatura subiecta est.

Id est, creatura facta est corruptibilis. Liberabitur à seruitute corruptionis, id est, erit incorruptibilis.

In libertatem filiorum dei.

Id est, cum surrexerimus, & incorruptibilia corpora sumperserimus. Est autem & alia consolatio. Nam si liberanda & glorificada est creatura, quæ seruit: quanto maior futura est gloria hominis, qui est dominus mundi, & filius dei?

Non solum autem illi, sed & nosipſi.

Alia consolatio est. Futuram gloriā testantur & nostri gemitus, qui non erunt vani, quandoquidem à spiritu sunt. Gemimus autem, id est desideramus redemptiōnem corporis nostri, hoc est omnium fidelium.

Adoptionem filiorum dei expectantes.

Quamuis hic per fidem simus adoptati, & scripti inter heredes, adoptionem tamen adhuc expectamus, ut fruamur promissa hereditate, qua simul in deo gloriſi gaudeamus.

Intra nos gemimus.

Impij gemitus eorum sunt, qui cupiunt à cruce huius

Cap. VIII. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

uitæ liberari, & non desiderant ad deum fontem uiuū: nam hoc esset repugnare uolūtati diuinæ: sicut & is re pugnat, qui moritur inuitus. Gemitus autem piorum sunt, qui non detrectant molestias huius seculi, dissolui cupientes, & esse cum Christo.

Spe enim salui facti sumus.

Alia consolatio est à beneficijs que olim accepimus, uel etiam quæ patres nostri acceperunt, qui à grauibus periculis sèpe liberati fuerunt. Psal. 21. Patres nostri in te sperauerunt, & liberati sunt. Hoc enim habet spiritus dei proprium, ut alienis bonis tanquam proprijs eos quos inhabitat, lètificet.

Porrò spes quæ uidetur, non est spes.

Dicis: Quodnam indicium rei sperande habebo? Respondet hoc esse contra rationem spei. Nam si spes, id est res sperata, uideatur, non est spes, id est euacuator spes. Magnū enim discriminē est inter spem et rem. Nam qui habet rem, spē potitus est: qui autem habet spem, re caret. At qui deus ipse spes nostra est, quam nō uidere poterit homo uiuens.

Si autem quod non uidemus, speramus.

Exempla sunt in agricolis, nautis, militibus, & reliquis manifeste.

Consimiliter autem spiritus adiuuat,

Alia consolatio ab adiutorio nostro in gemitibus et precibus nostris. Spiritus enim sanctus adiuuat infirmatatem

tate nostrā, & suggesterit, ut uelimus quae Christus, atq[ue] ea incessanter orare facit, eo quod est spiritus Christi: quem nisi acceperissemus, ignoraremus planè quid orandum: deprecaremur crucē, quereremus carnalia: quare doquidē caro nescit quae sint dei. At ubi talis spiritus fuerit in homine, ipse intercedet pro eo. Impossibile enim est, ut ingratus sit patri suus & filij spiritus. Qui igitur uoluerit exaudiri preces suas, oret in spiritu Christi, qui & fuit obediens usq[ue] ad mortem, & nulla sanctorum intercessione opus habebit.

Scimus autē, quoniam diligentibus deum.

Alia consolatio à dignitate electorū dei. Electi deū sunt, quibus spiritū suū uere concedit. Est autem hæc illorū dignitas, quia deus omnia facit, & fieri permittit ad illorum utilitatē. Non solū enim cœlū & terrā seruire illis facit, sed etiam si hanc seruitutē subtrahat eis, profuturum est. Et non solū prodest eis experiri spiritum gementem intrā se, sed etiam si lapsi fuerint, proderit: ut Petro & Davidi, qui dicit: Bonum mihi, quia hu[m]iliasti me. Neq[ue] solū illa proderunt, quæ olim permisit & fecit, sed etiam omnia quæ acturus & permisurus est. Satis ergo fuerit scire uoluntatē dei benignam, & pendere à uerbo gratiæ eius, approbando omnia quæ ipse arbitratus fuerit. Proinde constans in spe meas, etiam si quando caro oblictetur spiritui, & difficultatem se exhibeat.

Qui iuxta propositum uocati sunt sancti.

Cap. VIII. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

Dicit quis int illi diligentes deū . Non enim hi sunt qui solo ore & simulatione deum colunt, sed quos deus ab æterno prædestinavit : ut uideas nos gratia & elecione seruari, non operum nostrorum meritis.

Quoniam quos præsciuerat, eosdem & præfinuit, conformes imaginis filij sui,

Alia consolatio . Nam quod deus ab æterno præuidit, non est ingratum ei, qui spiritum dei habet. Præordinauit autem ab æterno, ut per multas tribulationes immigradiamur in regnum cœlorum: nam ita & dignissimum filium suū glorificauit. Iam conditio serui non erit melior conditione domini . Fieri igitur hic conformē imaginis filij, est crucifigi cum Christo.

Vt ipse sit primogenitus inter multos fratres.

Christus quo ad naturā suam , qua est naturalis dei filius. dicitur unigenitus: si autem ad nos referatur, qui sumus adoptiui eius fratres, dicitur primogenitus, propter primariam dignitatem.

Porro quos prædefinierat,

Nullus uere doctus est, neque uere iustificatus, nisi qui perseverauerit: quia in persecuerantia & patientia crucis maxime glorificamur, & efficimur consortes imaginis filij. Quærerunt hic quidam, num prædestinatio rebus necessitate inforat? Qui creduli sunt, uiuet sub credentia uerbi, neque uolent ultra sapere, quam

suæ infirmitati concreditum. Scimus autem, quod cognitio & uoluntas dei immutabiles sunt, sed illo ipso deus suos ineffabiliter consolatur, eo quod spiritum & fidem in uerbo eius cognoscunt, ipsum sibi bene uelle: & quia spiritum habent, non querunt quæ sua sunt, sed dei. Placebunt ergo eis uoluntas & cognitio dei, quomodo cumque se habituræ sint, & quicquid decreuerint, etiam si quod impossibile, eis aduersaretur. Observatum hoc loco, quod præscire non idem est, quod præcognoscere: sed ita præcognoscere, ut etiam statuatur. Certum enim est, quod multos præcognouit damnandos. Distinguitur autem à quibusdam præscientia à prædestinatione. Deus enim præscit etiam malos, qui ex ipso non sunt habituri causam operationis suæ male. Quos autem deus prædestinat, illos ita præcognoscit, ut etiam omnium quæ faciunt, ipse sit author. Et ita agnoscis deum non esse proprie authorē malorum, sed proprie authorē bonorum. Vnde Oseas dicit: Perditio tua Israël, tantum in me auxilium. Vnde bona omnia ad largitorem, cooperatoremque deum: mala uero ad uoluntariam rationis nalis creaturæ nequitia referenda sunt. Neque prædestinationis nomine fati uiolentiam intelligas, cuius opinio uana est. Deo enim nullo modo phas est adscribere malorum quæ agimus culpam.

Eosdem & uocauit.

Porrò prædefinitos, oraculis prophetarū, uocauit per

**Cap. VIII. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD
prædicationē Euangelij, & iustificauit per mortē filij.**

Quid igitur dicemus?

Excedit omnem consolationem, scire quod deus nobis optime uelit. Tunc enim nihil est quod nocere poterit, siquidem hoc per spiritum dei cognouerimus: ut infra declarat.

Qui proprio filio suo non pepercit.

Sufficere debebant consolations aliæ, & promissiones: sed deus ut obsignaret promissiones suas, tradidit unigenitum filium suum in mortem: que summa gratia est. Nihil enim maius dare potuit, quam filium, quem non minus diligebat quam se. In tanta confirmatione promissionum quare non adhiberetur fides uerbis deis ut nihil non de deo nobis polliceamur. Nam dicit, pro nobis, tam indignis scilicet peccatoribus & inimicis. & dicit, Nō pepercit, eo quod obiecit eum summis & acerbissimis doloribus, ignominiosissimisq; probris. Deus autem ipse dicitur fecisse, quod permisit Iudeis facere, ut interim sileamus, quomodo in omnibus operetur. Tradidit autem illum non solum Iudeis, sed & dæmonibus ipsis tentandum. Porro quod dicit Omnibus, intellige sicut pleraq; alia loca. Nam passio quidē satis efficax erat, & confecta in poculum immortalitatis, quod omnibus prodeisset, si ex eo omnes biberent: sed quia non omnes bibunt, neque omnibus prodest.

Cum illo omnia nobis donauit.

Omnia

Omnia ea que nos accipere conuenit, uti filios per adoptionem. Sunt enim quedam propriasoli filio concessas: ut quod ipse est saluator noster, caput nostrum, quod offerat in eternum: & similia, que & ipsa nostra sunt, quia nos laetificant & beant.

Quis accusabit?

Dicit quæ sint omnia illa, quæ nobis cū Christo donata sunt. Primum enim iudicatur est satan, aduersarius uel criminator, ita ut non possit ulterius accusare electos coram deo. Cauter autem dicit, electos, ne hinc peccandi occasionem accipient impij. Quamuis autem nullus sit absq; peccato, per Christum tamen habent fideles fiduciam quod non accusentur, præstante eam illis spiritu, qui habitat in eis.

Deus est qui iustificat,
Iustificat propter Christū, qui gratus & acceptus deo,

Quis ille qui condemnnet?

Si nemo accusabit, nemo etiam cōdemnabit: & ubi deerit crimen, ibi deerit & poena. Euincit & iste locus aduersus purgatoriū doctores, nullam esse defunctorum poenam.

Christus est qui mortuus est.

Sic nos Christus liberavit à condemnatione & accusatione: id est, à poena & culpa, ut peccatum non imputetur, & poena nouirrogetur. Ita quod amplius est,

Cap. VIII. ANNOT. IN EPIST. PAVL. AD

etiam à periculis omnibus suos liberet. Mortuus enim Christus mortem deuicit, & sua morte absorpsit, ne ultra terribilis esset, & pro somno ac quiete haberetur. Suscitatus autem à mortuis, inferorum portas confregit, ut detineri nō possimus in puluere, quin & nos res surgeremus. Denique ascendit ad cœlos, & ita cœlos nobis aperuit, ut & nobis illuc ascendendi spes sit, & inde nobis omnigena spiritus sancti dona concedantur. Dicitur autem Christus esse ad dexteram dei, hoc est in potioribus donis.

Qui & intercedit pro nobis.

Nō solum ut ignoscat pater peccatis, sed ut libemur à periculis, & eius dona capiamus.

Quis nos separabit à dilectione dei?

Exclamatio enthuſiaſtica. Vult quod quamdiu ſpiritu Christi posſederimus, nihil poſſit nobis nocere. Illo autem subtracto nō erit unde gloriemur. Proinde alio loco monet: Videte ne extinguatि ſpiritum dei. Redit autem ad id, quod antea dixit, Non accepisti ſpiritum ſeruitutis ad timorem, sed accepisti ſpiritum adoptio-nis. Et quod dixit, ſi ſimul patimur cū illo, & glorifica-bimur. Dicendo autem Nos, intelligit electos, & eos qui ſortiti ſunt ſpiritum Christi. Tales enim gaudent in obedientia dei uſq; ad mortem crucis. Et non ſolum nō ſeparantur à dilectione per afflictionem, uel persequitionem: ſed gaudent affligi, ſc̄iētes beatos eſſe qui persequi-

sequutionē patiuntur propter Christum, habereq; uarias consolationes. Nam pro fame pascuntur in anima pane cœlesti, pro nuditate uestiuntur Christo.

Propter te morti tradimur tota die,

In hoc nimirum fideles proxime exprimitur Christum, ut sicut ipse factus est propternos agnus obmutescens, dum portatur ad victimam: ita fideles & ipse uicissim fiunt innocentes hostiæ propter Christum, & non propter crimina traduntur occisioni.

Habiti sumus.

Ab impijs scilicet, & filijs seculi. Reuera enim Christianus occidi nequit, nam per mortem transit ad immortalē uitam.

Sed in his omnibus superauimus, per eum qui dilexit nos.

Quamdiu seruauerimus fidem, tamdiu uictores erimus. Et licet occidamur perseverantes in fide, tunc tamē magis uictores erimus, unde dicit, ὁ νικῶν πλοῦ, id est, plus quam uicimus. Ita enim maxime uincuntur, quæ fidem amiserint, tametsi in diuitijs, & seculari prosperitate prosperati fuerint. Porro perseverantiam fidem retinere non poterimus, nisi illam Christus qui dilexit nos, dederit. Afflando enim spiritu suo primum spiritum dat.

Certus enim sum.

Cap. IX. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

Neq; mors uincet, uicta enim est per Christum: neq;
uita & lōgitudo annorū huius seculi, expectamus enim
meliorē uitam: neq; angeli, quia sunt ministri nostri:
neq; principatus, siue huius seculi, siue etiam aduersa-
riorum dæmoniorū: aduersus enim ecclesiam dei neq;
porte inferorum præualebunt.

Necq; præsentia, necq; futura.

Multa simul dicit, ut declaret omnino invictū esse
eum, qui spiritum dei obtinuit: & paratū potius amit-
tere omnia, tam ea quæ sunt in hoc seculo, quam quæ
sunt in futuro, potius quam amorem dei uel fidem.

C A P V T N O N V M.

Veritatem dico in Christo Iesu.

Suo exemplo ostendit Apostolus, quantus sit
impetus & affectus charitatis. Ita enim ho-
minem à sui amore ad amorem proximi de-
riuat, ut etiam anathema pro illo fieri cupiat: siquidem
tam uiolentus fuerit, quantus fuit in apostolo. Quidam
opinati sunt hyperbolicum esse sermonem, quod apo-
stolus cupit esse anathema pro fratribus. Alij uero per
anathema intellexerunt temporale mortem. At tu ne
mireris, nam hoc agere solet spiritus Christi. Vbi enim
est spiritus dei, præ omnibus queritur gloria dei. Quia
autem Paulus nihil sublime de seipso sentiebat: & plus
gloriae accessurum deo credebat ex omnium Iudæorū,
quam sua solius salute. Proinde satius existimabat si ipse
damna-

damnaretur saluis alijs : atq; hoc est perfecte perdere animam . quamvis autem pius affectus sit ita optantiū, non sinit tamen diuina benignitas tales preces exaudi-ri . Similis affectus fuit in Mose, Exo. 32 . dicentis : Aut dimitte eis noxā hanc, aut dele me de libro uitæ . Quāz quis ardenter affectus sit Pauli : Nam Moses uolebat cū Iudeis perdi, Paulus autem pro Iudæis . Deniq; quod per anathema non intelligamus simpliciter mortem, cogit apostolus dum dicit, A Christo . Qui enim mori-untur, nō separātur à Christo, sed incipiūt esse cū Chri-
sto . Anathematis nomen à segregando est.

Cognati mei secundum carnem.

Non simpliciter Apostolus hic præfert cognationē secundum carnem . Nescit enim charitas illum respectū personarum : sed eos præfert in dilectione spiritus dei, in quibus plura & magis admiranda dei opera sunt cōspicua . Certum autem, non fuisse aliam gentem pluribus priuilegijs honestatā: unde & nonnulla subdit.

Quorum adoptio est filiorum.

Iudei in peculiarem gentem dci adoptati fuerūt, ut est Exodi 19 . Et uos eritis mihi regnum sacerdotale, & in gentem sanctam.

Et gloria.

Per gloriam , Hebrei communiter diuinitatem dei iuxta arcam foederis intelligebant, uersus quam & orare solebant.

Cap. IX. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

Et testamenta,

Pluraliter dicit pacta patribus facta per aliquas si-
gnas: ut cum Abraham, & Israël: & in datione legis, cù
conspigerentur populus & liber legis sanguine.

Et legis constitutio,

Gloriabatur & in lege Iudei. Nulla enim gens sub
sole tam aequas & sanctas leges habebat.

Et obsequium,

Cultus consistebat in cæremonijs, sacrificijs, & tem-
plo, & ordinibus Leuitarum.

Et promissiones,

Varie hic dicuntur promissiones per prophetas ab-
que signis: & in hoc distinguuntur à testamentis.

Quorum patres,

Patriarchas & prophetas dicit gloriam Iudeorū:
sed maxime eorum gloria fuit, quod protulerunt Chri-
stum secundum carnem.

Ex quibus est Christus secundum carnē:

Manifeste hoc loco in una persona Christi duplex
natura Christi ostenditur, humana scilicet, & diuina.
Vnde satis hic locus pugnat cōtra Arianos apud nos, si
cūt contra Iudeos locus quē dominus citat ex Psalmis
dicēs: Dixit dominus domino meo, sede, &c.

Non autem hæc loquor.

Hec superioribus bene cohærent. Deplorans enim
ruinam

ruinam fratrū, eo quod inciderat in materiam prædestinationis, & declarauerat affectum charitatis, quantum esset in Iudeos, eo quod illis maiores promissiones factae: nunc consolatur seipsum duobus modis: Primum quod prædestinatio immutabilis manet, Deinde quod promissiones prophetarum non euacuantur: & hoc est quod dicit, Sermo dei non excidit. Quod ad prædestinationem attinet. Deus prædestinavit non carnales filios Abrahæ, sed spirituales: ita etiam non carnalem Israël, sed spiritualem: & ita excœcatis carnalibus Iudeis, nihil decedit gloriæ dei. Proponit autem Abraham potissimum & Israël: quia cum illis maiora pacta deus constituit & testamenta, ut dixit. Sed alia de causa meminit Abrahæ, & alia Israël. Isaac Abrahæ filius natu saluatoris typum gerit: populi autem duo, Gentium et Iudeorum per Iacob & Esau intelliguntur.

Non enim qui sunt semen Abrahæ, &c.

Filiij Abrahæ sunt, qui fidem accipiunt, per quam natus est Isaac. Et sicut Abraham credidit deo de Isaac, ita ipsi credunt deo de Christo, qui natus est, dei filius, ad salutem humani generis. Nam quod dicitur Genesis uigesimo secundo: In semine tuo benedicentur omnes gentes. hoc non impletum est in Isaac, sed in eo qui in Isaac promissus est Abrahæ.

Promissionis enim uerbum hoc,

Hoc est, ita promisit deus Abrahæ.

Cap. IX. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

In tempore hoc.

Idest, hac parte anni reuoluto anno.

Sed & Rebecca.

Aliud exemplum, quo indicatur prædestinationis dei immutabilis. Nam antequam natus esset Iacob, præstinavit eum deus: Esau autem odio habuit. Igitur nihil deperierat de prædestinatione propter excæcationem Iudeorum. Et uide quomodo haec nostro proposito coueniant. Iacobo enim filio Isaac, olim non perfecte seruuit Esau. Nam Iacob fugit ipsum Esau, & adorauit, & muneribus placauit. Sic etiam populo Iudeorum, qui dicitur carnalis Iacob, non seruuit populus Esau, tametsi nonnunquam uictus fuerit a Iudeis. Sed hoc uult figura, quod posteritati Iacob promissa fuit fertilitas terræ Canaan. Posteritas autem Esau eiecta fuit, & habitavit in montanis locis, asperis & saxosis. Et propter hoc dicitur in figura odio fuisse habitus deo, sicut patet apud Malachiam. Cæterum ueritas rei ita se habet. Esau signat carnalem populum Iudeorum, cui ablata est terra Canaan, intellige, cognitio dei uera. Per Iacob autem, hoc est minorem, intellige contemptibilem populum gentium, & eterna prædestinatione a deo dilectum.

Nondum enim natis pueris.

Ecce non potest aliud euenire, quam quod deus nō sūit futurum. Sed a nūl ad uerte scripturam bifariam loqui.

qui. Loquitur enim nonnunquam secundum præscientiam, ut hoc loco. Sæpe autem euenit, ut hi qui secundū præscientiam sunt in numero malorum, secundum iustitiam præsentem dicantur in numero bonorum, & ita remunerentur. Nam & de Saül dicitur, quod fuerit vir bonus, & non erat illo melior in filiis Israël. quod necessario intelligitur de præsenti iustitia, qua plerunque facta est, nec tamen irremunerata à deo. Ita & Iudas Iscarioth sortitus erat sortem ministerij inter apostolos. Et discipuli qui postea recesserunt, audierant: Nomina vestra scripta sunt in coelis. Et ita etiam in alijs locis inuenies.

Iacob dilexi, Esau autem odio habui.

Per duas questiones dicit immutabilem esse dei prædestinationem: primo, ut apud deū non sit acceptio personarum: secundo, ut sit etiam magna iustitia. Quod autem non sit acceptio personarum apud deum, in adulatis facilius comprehēditur, quam in parvulis, & nondum natis. Facile enim quis dixerit Pharaonem meruisse obdurationem: Sed cur Esau odio fuerit habendus, quis digne explicarit? Attamen dicimus non esse acceptiō personarum, quia deus nulli quicquam debet, & prescit qualis uniuscuiusque uoluntas futura sit. Ideo autem nulli debet deus aliquid: quia omnes sumus ex eadem peccatrice massanati ab Adam, filij iræ. Iam si curiosus ulterius querat, cur Adā non fuerit conditus in natura felici & impeccabili: is uideat bonitatem dei,

Cap. IX. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

quam magis decebat hominem condere talem, qui posset peccare, & sua gratia à peccatis desistere, quam omnino impeccabilem: ut occasionē habeat iuste remunerandi. Talem bonitatem suam propter nostrā malitiam, qui maxime bonus est, obmittere non debebat.

Miserebor cui misereor.

Iuxta proprietatem Hebraici sermonis ita habet Exo. 33. Miserebor cui misertus ero, & super eum effundam uiscera, super quē uiscera effundo. Effundere autem uiscera, excellētis misericordie est: & est is sensus, Ei misericordiā dabo in præsentī uita, cui præsciūt me daturum misericordiam. Præscit autem deus se daturum illi, qui post errorē rectō corde ad ipsum reueritur. Est autem eadem sententia cum eo, quod supra dictum est: Quos præsciuit, hos & prædefiniuit. Et uide quomodo connectat præsentem iustitiā cum præscientia. Sed hic præsens iustitia, uera iustitia est.

Itaq; non est uolentis, necq; currentis.

Efficax locus contra Pelagianos est, quem illi uarijs modis corrumpunt misere: nunc per modum interrogatiois legunt, cum tamen nulla hic sit interrogatio, sed definitiue dicatur. nunc dicunt, uerum quidem esse, neminem sua uoluntate uel cursu aliquid assequi, sed omnia pendere à misericordia dei: sed misericordiam illam dicunt saluis nostris uiribus, quasi per nos possimus, si deus non obstat. Alij non minus incepit dicunt quidem

quidem cooperari deum, & esse simul cū operatione dei in nobis quoddam uelle & currere. Sed dicant illi, num deus sit fons omnis boni? Quod si fatentur (ut necessarium est) sequitur etiā hoc bonum, quod est in uoluntate & cursu, esse miserentis dei.

In hoc ipsum excitaui te.

Id est, in hoc alię gentes cognoscēt non alium esse deum, quām me uerum deum. Ostendit autem uirtus dei in malis, qui reseruantur in uita per aliquot tēpus: sicut sapientia medicorum, qui liberant damnatos impios ad salutem uiuorum, ut illos postea anatomizēt. Lucas hic habetur Exo. 9.

Ergo cuius uult miseretur.

Expone sicut supra, Miserebor cuiuscunq; misericordia. Misereri enim & indurare, iuxta præsentē iustitiā dicitur: uelle uero, iuxta præscientiam.

Voluntati eius quis resistit?

Vult hic non solum immutabilem esse prædestinatis onem, sed etiam iustum. Neq; est quod quis dicat, neminem posse resistere diuinę uoluntati, & proinde neminem peccare: nam illa semper iusta est, etiam si nos succumbamus. Vnde subscribendum erit ei cum magna bus militate, neq; oblatrandum. Oblatranti enim dicitur, quod ignoret mensuram suę paruitatis.

Tu quis es?

Hoc est, luceus es & carnalis, nec poteris cōprehēn-

Cap. IX. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

dere spiritualia. Quod homini carnali uidetur iniustus. spiritualis cognoscit iustum. Quandiu igitur uiuimus, inhabitamus crassa corpora, atq; diuina perspicere non possumus: sed absoluti a corporibus, & facti spirituales, illa sciemus. Hoc nunc satis fuerit scire, deum esse cisse uniuersa iuste, & propter semetipsum, non quod accedit sibi aliquid utilitatis inde, tanquam indigenti, & minus beato: sed ut cognoscatur perfecte beatus, & nullius indigere. Præcipuum autem, quod homo facere potest, est glorificare deum spiritu.

An non habet potestatem figulus?

Comparat deum factorem omnium figulo: quod subtiliter intelligas. Nam figulus simpliciter uult, & nihil adhibet iustitiae, formando ex eadem massa ollam ad ignem, & poculum ad mensam, uas glorie & ignominiæ. Sed uoluntas dei semper iusta est. Similes comparationes habes Isa. 64. & 45. & Hieremie 18.

Aliud uas in honorem.

Vas in honorem, quod deus spiritu sancto dignatur: uas in contumeliam, quod spiritu sancto destituitur.

Quod si deus uolens ostendere iram,

Concludit per argumentum à minori. quasi sic arguat: Si lutum non habet quod obijciat figulo, multo minus habebit creatura, quod obijciat deo. Observa autem quod dicit eandem massam. Nam si eadem massa est, & tota peccatrix: quæ iniustitia, si totum humanū genus reijceretur?

reijceretur? planè nulla. Non potest autem non esse misericordia, si portionem quamquam deus non abiiciat: quam tamen, licet ad interitum præparatam, non omnino sua bonitate fraudat. Nam diuinæ bonitatis est illè dare esse, & uiuere, & permittere, aliquandiu naturæ libus bonis non minus perfrui quam filios. In hoc uideamus dei misericordiam. Ceterum etiam iustitiā uideamus. Nam quia illi in suū malū talibus abutuntur, iuste deus malitia illorū utitur, nō solum ad suā gloriam, sed etiā ad gloriam filiorū, quos uocat uasa misericordie.

Quos & uocauit,

Quos, refertur ad uasa misericordie, unde fortasse satius erat uertere, quæ uel quales. Magna autem consolatio est, impietatem aliorū electis seruire, quos deus colligit ex Iudeis et gentibus citra respectū personarū.

Sicut in Osee dicit,

Nunc secundo consolatur seipsum, eo quod reiecti Iudeis prophetiae maximæ impleantur. Affert autem prophetias ex Osee capite 2. et ex multis locis Esaiæ.

Vocabo non populum meum.

Dicit populum non suū, carentem cognitione ipsius: qualis erat populus Gentiliū, qui in tenebris uiuebat: dicebaturq; non dilectus, eo quod non accipiebat spiritualia beneficia dei: contrà, populus Iudeorū dicebatur populus dei & dilectus. Manifeste autem dicit Osee, immutationem populorum futuram.

Cap. IX. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD.

Esaías autem clamat,

Clamare dicit Esaiam, ut clariorem prophetā, & tam manifeste prædicentem, ut contradici ei nequeat.

Si fuerit numerus filiorum Israël.

Locus ille est Esiae 10. & est sensus: Non usq[ue] adeo pauci conuertentur ex Israël: sed si residuum quod conuertetur ex eis, sit tantum, quantus est numerus harenæ, recte dixeris reliquias, & illæ uere saluæ erunt.

Sermonem enim consummans.

Hebraicus textus legit, Consummatio abbreviata inundat iustitiam: & intelligit per consummatas reliquias, apostolos, doctores orbis, qui inundauerūt mundo iustitiam, id est fidem in Christū. Posset iuxta Heb. exponere, Consummatio iusti consummauit iustitiam, id est, mors Christi. Iuxta apostolum autem sic intellige, Deus abbreviauit sermonem, id est, abbreviauit superbos ac impios super terram. Hebræi enim sermonē pro re ipsa usurpant, ut est apud Lucam Euangelistā: Videamus uerbum quod factum est, &c.

Abbrevians in æquitate.

Id est, tota Iudea erit consummata & deuastata, solis Hierosolymis exceptis. Per Hierusalem autem discas paruas quasdam reliquias saluandas. Ceterum Hierusalem ecclesie typum gerit, extra quam nulla spes salutis.

Super

Super terram.

Hebreus legit, In medio omnis terræ. ubi septuaginta & apostolus dicunt, Omnis terra : per medium omnis terræ, Hierusalem intelligentes.

Nisi dominus sabaOTH,

Esaie cap. 1. hoc testimonium habes : & uocat se men reliquias, quas iam dixerat, nimurum apostolos, & eos qui ex Iudæis crediderunt. Reliqua uideantur apud prophetam ipsum.

Quid igitur dicemus?

Quia de prophetis testimonia protulerat, quæ ferme respiciunt præsentem iustitiam: unde quo tales apud illos poene prædicuntur, adiunguntur & cause poenarum. Ita & hoc loco addit causam excæcationis Iudæorum, quod placuerunt sibi ipsi in operibus suis, quæ uocat hic opera legis. Vnde discimus, nostra quoque merita nulla esse.

Quod gentes, quæ non sectabantur iustitiam.

Semper aqua gratiarum fluit in ualles humilitatis, & declinat montes superbie. Quia igitur gentes non habebant se pro iustis, Christum acceperūt, sola tamen misericordia dei. Non habebant enim quo dicerent se gratiam illam meruisse: sed Iudæi fidebant multum suis operibus, & dimissi sunt inanes.

Cap. x. **ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD**
Israël uero sectando legem iustitiae.

Externa erat iustitia Iudeorum, & omnino pharisaica. Nā cū docerentur à lege ut cognoscerent Christum, superbia inflati, illum amiserunt.

Quia non ex fide.

Intellige de fide in Christum, & in crucifixum, quia uerbū crucis semp scādalo fuit Iudeis: non aut de fide creationis, quae non sufficit, postquam uenit Christus.

Impegerunt in lapidem.

Testimonium hoc habes Esaiæ 28. & 8. Et docet Christum esse petram refugij credentibus, lapidem aut offendiculi incredulis: hoc est quod Euangelista dicit, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, &c.

C A P V T D E C I M V M.

Fratres, propensa quidem uoluntas, &c.



Terum indicat se nihil per inuidiā dixisse aduersus Iudeos, sed coactū ueritatis amore: quod & nobis in docendo exemplū esse debet. Sensus autē est: Quamuis tam dura dicam de Iudeis, ex animo tamen illis bene uolo: non solum autem bene uolo, sed & pro ipsorum salute oro, & quatenus licet eos excuso.

Testimonium enim perhibeo illis.

Admodum misera excusatio est: quandoquidē autē nō concedebatur, neq; illam omisit. Excusat quod ignoranter

ignorāter peccent. sicut & Petrus in Actibus capite 3.
Nunc scio quod per ignorantiam fecistis. Non tamen
omnes ita excusantur. Nam qui peccauerunt in spiritu
sanctum, dicentes Christum in Beelzebub ejus cere
dæmonia, non peccauerunt per ignorantiam: consciens
tiæ enim eorum conuictæ erant. Vnde & dominus Ioan.
10. dicit: Si non uenisset, peccatum non haberent.

Aemulationem quidem dei habent.

Vide quām periculose sit carere scientia dei. Nam
qui illa carent, comparantur Iudeis, qui obsequium se
putabant præstare deo, imperfectis apostolis. Compa-
rantur enim strenuis militibus, in quibus non tantum
laudari potest robur, quantum culpatur quod ignorēt
in quos debeant stringere gladios, dum occidunt inno-
centes & amicos. Hoc uitio etiā hodie multi laborant,
qui cōtempta misericordia & iustitia, strenue zelant
pro humanis traditionibus.

Ignorantes enim iustitiam dei, &c.

Vt probet iuste reprobatos Iudeos, sicut cœpit sue
priori capite. Duplicem ponit iustitiam, unam dei, al-
teram nostram, quæ est iustitia operum. Ceterum hoc
unico uersu repellit possunt omnes fictitiae religiones, si
quis in eis fiduciam habeat, eo quod non sunt ex uerbo
dei, & derogant fidei in Christum. Siquidem ignorant
Christum iustificationem nostram, & quod nullo inc
digeamus ad salutem, quām Christo. Obserua etiā das

Cap. X. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

mnari eos, qui querunt propriam iustitiam, & putant sufficere ad bonitatem operis, si sibi persuadeant intentionem bonam esse. Nam hoc est querere propriam iustitiam. Non est autem censenda bona intentio, nisi quæ per fidem operatur. & iuxta uerbū dei, absq; quo nō est fides: alioquin & Saūlis intētio fuisset bona, fingeritis sc̄ facturū uotū de pecoribus pinguibus Amalech.

Nam perfectio legis Christus.

Quia nemo operibus implet legem, ideo fide in Christum constat salus. Dicit autem finem legis Christū ideo, quia scriptura concludit omnia sub peccatum: & deus dedit legem impossibilem nostris uiribus. Ne igitur iniustus putetur deus, causam addit quod ea ratione perueniamus ad Christū, à quo auxiliū petimus, desperantes de nostris uiribus. Nam si ex operibus nostris salus, frustra mortuus esset Christus. Proinde lex ad Christum ducit. Vbi autem Christū habuerimus, superiores erimus lege. Iudæi & omnes operarij in se- ipsis fiduciam ponentes, legis finem negligunt.

Moses enim scripsit, &c.

Locus ille habetur Leuit. 18. & Ezech. 20. Errant qui hunc locum trahunt ad iustificationem operū. Nō enim intelligūt uim & emphasim huius uerbi Fecerit. Nam præcepta non facimus, nisi affectum operibus ad damus: sicut supra dictū est, legē esse spirituale. Spiritus autem talis nulli datur, nisi per Christum.

Quis

Quis ascendet in coelum?

Locus ille est Deut. capite 30. Et in summa docet ueram iustitiam esse, si non dubitetur de spe, quæ in Christo. Abutuntur hoc loco Pelagiani, ut tribuant libero Pelagianis, arbitrio uim ad faciendum bona. Sed Moses non loquitur de impletione legis, nisi per fidem. Et si penitus spe es, de cognitione legis ait: quasi dicat, Ecce iam habes propositam legem, & cognoscis eam, post hac non eris excusabilis.

Id est Christum deducere.

Paulus testimonio Mosis ad suum propositum utitur, ut sciamus nos iustificari per ascensionem & resurrectionem Christi: liberari autem à peccatis, per mortem, & descendum eius ad inferos.

Prope est uerbum in ore tuo.

Summa fidei nostræ est, credere Christum filium dei. Nam super huius confessionis petram dominus ecclesiam suam ædificauit. Non est autem sermo de fide historica, sed ea quam pater cordibus reuelat. Fides item in duabus explicatur, nempe quod Christus uerus homo & mortuus: & uerus deus, qui resurrexit à mortuis.

Corde creditur ad iustitiam.

Si quis obijciat, An nō saluabitur solù credens corde? quid facit confessio ad rem? Nonne mox subiicit ex Esa. Ois q̄ credit in eo, nō pudebit? Quid si nō esset oppor-

Cap. X. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

tunitas confitendi, fidelē num damnaret deus? Responde, confessionem illam esse attestationem fidei. ut scias fidem minime esse ociosam: & eum qui uere fidelis est, non contentum sua salute, sed glorificare deum operibus & exēplis, cupereq; omnes lucrari Christo. Non autē hic fit mentio de enumeratione peccatorū, sed ne quis erubescat nomen Christi, siue hoc sit in baptismo, uel Eucharistia, uel operibus misericordiae, uel martyrio, uel quibuscunque alijs, quibus gloriam dei proximo attestamur.

Omnis qui fidit in illum, non pudefiet.

Insignem sententiā scriptura probat. Locus est Esa. 28. Hebræi alijs uerbis in eandem sententiā legūt, Nō accelerabit, uel trepidabit, nimirū ab aduentu iudicis.

Non enim est distinctio Iudæi & Græci.

Est distinctio, & nō est distinctio. In externis deus non distinguit, siue sit quis Iudæus, uel Græcus: diues, uel pauper: plenus externis bonis operibus, uel nō. In internis autem distinguit. Nam credentes & inuocantes se suscipit, & in eos diues est, plus dans, quam petere audeant. Incredulos autem reiicit: qui iuste non accipiunt, quod daturum deum non credunt.

Omnis enim quicunque inuocauerit.

Iterū scripturā confirmat ex sententiā Ioëlis, q; dicit, Inuocantes deū saluari, hoc est, credētes. Nullus enī in inuocat, qui nō credit. Dicit tamē signāter Inuocandū, ut magna

ut magna sit nobis fidei seruādē cura. Aduersarius enim noster nō dormitat, sed circuit, & querit perdere nos.

Quomodo igitur inuocabunt eum?

Latius docet perire pereuntes sua culpa, & saluari saluandos diuina misericordia. Sua enim culpa pereunt, qui apostolis & Euangelizantibus non obediunt. Diuina misericordia saluantur, ad quos mittuntur apostoli: quandoquidē hic iustificationis ordo à deo datus est, ut per uerbum eius uiuamus. Vide autem gradus misericordiarum dei. Prima misericordia est habere apostolos: secunda, audire illos prædicantes: tertia, illis credere: quarta, inuocare: quīta, saluari: qui est summus gradus, ad quem absq; alijs non peruenitur. De pueris nō est quod hic obijciatur: apostolus enim de his loquitur, qui sua culpa pereunt.

Nisi mittantur.

Missi sunt, qui Christum pure annunciat, citra uane gloriæ & quæstus cupiditatē: ita enim & Christus se probat missum à patre, quia patrē, nō se, glorificabat.

Quām speciosi pedes euangelizantium.

Locus est depromptus ex Esa. 51. Utitur autem apostolus omnibus illis locis magis iuxta septuaginta translationem, quām Hebraicā ueritatē: sed nec per omnia septuaginta sequitur.

At non omnes obediunt Euangelio.

Culpam Iudeorum ostendit, cum iam beneficiū dei

Cap. X. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD
indicasset apostolorum missione. Et iterū dictū Esaiæ
confirmat, quod dixit:

Quis credidit auditui nostro?

Sensus est, Mirū q̄ paruuus numerus credentiu. Pro^r
nomē enim **Quis**, nō omnino negat aliquos credidisse.

Ergo fides ex auditu est.

Declarat & exponit prophetam. Nam in paucis
uerbis prophetæ & misericordiam dei, & Iudeorum
obstinationem insinuat. Nam dum dicit Sermonibus no-
stris, licet intelligere misericordiam dei mittentis apo-
stolos. Dum aut̄ dicit, **Quis** credidit auditui nostro: ar-
guitur Iudeorum iniustitia, qui credere noluerunt.

Atqui in omnem terrā exiuit sonus eorū.

Adhuc firmiter probat Iudeos fuisse inexcusabiles:
quia cum in omnem terram exiuit sonus eorum, id est,
ferè nullus angulus est, in quo non prædicetur Euange-
lium: quæ poterit esse excusatio Iudeorum, à quibus
prædicatio Euangeli incœpit?

Sed dico, nunquid cognouit Israël.

Sensus est, Quomodo adhuc possem dicere Israëlen
non cognouisse? Et iterum duo testimonia afferit: pri-
mum ex Deut. 32. ubi Moses dicit: Ego ad emulationē
prouocabo uel irritabo. Ex quibus uerbis discimus Iudeos
conuinci ex cæcitate ipsorum, quod non ignari fue-
rint prædicti Christi. Excæcatio enim eorum ab emula-
tione & inuidia processit: quia uiderunt gentes fi-
dems.

dem suscipere, & prædicantes apostolos Gentibus,
persequuti sunt.

Esaias autem audet, & dicit.

Breuiter in uerbis Esaiæ discis omnes saluandos de
uina misericordia saluari, & absq; suis meritis eligi. dicit enim: Conspicuus factus sum his, qui de me non inter
rogabant. Si non interrogabant de deo, que merita er
go prætexent? Similiter omnes reiecti sua iniustitia da
mnantur. Quomodo enim excusabimus eos, ad quos de
us misit prophetas, & per illos uocauit? Et sic tota die
id est semper, expandit manus suas, id est, uocauit lon
ginquos, uocem suam non audientes. Iterum habes mis
ericordiam dei in expansione manuum: iniustitiam au
tem populi in incredulitate.

C A P V T V N D E C I M V M.

Dico igitur, num repulit deus popu. &c.

Quamuis Iudeos ostenderit inexcusabiles, &
se iterum aliquo modo excusarit, ne per imi
diam quippiam dixisse videatur, demum qui
busdā argumentis spem illis de misericordia dei affert,
si hac ratione aliquos lucrifacere possit. Misericordiæ
autem dei in hoc commendat, quod reliquias ex illis
sumpserit, & quotidie sumat.

Absit.

Posset quis obijcere, indignū esse deo, quod populū

Cap. XI. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

suum, quem peculiariter sibi elegit, quasi immemor promissionum abiecerit: ideo dicit, Absit quod repulerit: Promissio enim solis fidelibus facta est, quorum nullum abiecit.

Nam & ego Israélita sum.

Probat suo exemplo. quasi dicat: Si totus Israél esset abiectus, ego nō essem apostolus: sed quia me persecutorem deus nō abiecit, neq; de reliquis desperandū est.

Populum quem præsciuit.

Signanter dicit populum præcognitum, non repulsum: quia promissio & hæreditas ad solos prædestinatos pertinet. Ioannis decimo septimo: Pater quos disti mihi, & cetera.

An nescitis de Elia quid dicit scriptura?

Tertij Regum 19. habemus de zelo Eliae, qui & ipse conquerebatur intercidisse promissionem, eo quod non apparebant fideles: sed reprehenditur a deo, cuius iudicia occulta. Certū enim est semper aliquos esse bons, tametsi ignorantur ab hominibus.

Reliqui mihi septem millia.

Per septem millia intellige uniuersitatem fidelium, que cum aliquanto numero est. Ita enim solet uti scriptura numero septenario, licet multo plures sint non electi. Neque ita intellexeris, quod illa septem millia omni careat peccato. Quis enim poterit dicere corsus sum mundum a peccato? sed quod non fuerint grauiibus criminibus

eriminibus impliciti, præsertim idololatriæ. Quod ut cognosceret Elias, uidit fidem, innocentiam, & simplicitatem Elisei ab aratro statim se sequentis.

Reliquiæ secundum electionem gratiæ.

Id est, ita gratuitæ gratiæ fuit, ut reliquiæ quædam seruaretur ex Iudeis, ut planè de suis meritis nihil possent obtendere. Nomen enim gratiæ, maxime, si electio nem apponas, ex diametro pugnat cum merito operū, quod duobus enthymematis probat.

Quod si per gratiā, iam nō ex operibus.

Primum enthymema: Si deus gratis elegit, stultum fuerit superbire ex operibus, quandoquidē gratia iam non esset gratia. Ita enim repugnant opera naturæ, gratiæ: ut si operibus tribuas nomen gratiæ, euanciscat meritum.

Quod si ex operibus, iam non est gratia.

Secundū enthymema est à contrario. quasi dicat: Bene sequitur, si ex meritis operum, iam non est ex gratia. Sufficit hic locus contrarios, qui ponunt meritum congrui & condigni.

Quid igitur?

Ex his sequitur, Israëli nihil profuisse fiduciam operum: sed quotquot electi sunt, qui hic dicuntur electione, sola gratia sunt assumpti.

Dedit eis spiritum compunctionis.

Probat sententiam dicto Esa. cap. 6. Spiritus com-

Cap. XI. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

punctionis durus est & inflexibilis, non obediens, sed repugnans uerbo dei, & quasi spina pungēs. Obserua autem quod oculos habent, & non uident: quo misericordia dei & iustitia cognoscuntur. Quia enim misericors deus, dedit illis oculos: quia autem iustus, dedit spiritū compunctionis, ut non uideat. & quibus dedit talē spiritum: nimirum confidentibus in suis operibus.

Fiat mensa eorum in laqueum.

Propheta loquitur de mensa scripture unde pascitur animæ: illa conuertitur in laqueum ijs, qui habent spiritum compunctionis, hoc est, discruciantur & dissecantur cordibus suis, uerbum dei audientes. Mirum autem est, quod unde alij discunt fugere à laqueis uenantium, inde illi illaqueentur & capiantur. Et quod alij est uirtus, illis scandalum est. Hoc olim etiam signatum est per manna, quod incredulis nauceæ fuit, cū esset per se optimis aporis.

Obscurentur oculi eorum, ne uideant.

Non uidere, est carere dono intelligentie, quo destituti, etiam incuruantur, nimirum sub onere peccati. Vi detur hoc testimonium partim desumptum ex David Psal. 78. partim ex Esaia cap. 6.

Nunquid sic offenderunt ut caderent?

Hoc interrogat, nunquid deus gaudet casu & ruina Iudeorum? Sed respondet, deum non tam spectare illos cum casu, quam utilitatem gentium ex hoc casu prouentur.

uenturam. Iustitiam autem dei sic ostendit. Quia enim Iudei propter suam ipsorum malitiam peccarunt, deus illorum malitia bene est usus: quanto magis si credidissent, ipsorum fide in suam fuisset usus gloriam?

Vt illos æmulentur.

Recte tractat illud propheticū Mosis: Ego ad æmulationem uocabo uos. prouocantur enim Iudei nostra fide ad credendum. Tametsi hoc beneficium, sicut pleraq; alia, contemnant, ita ut non solum ipsi non credāt, sed etiam emulatione mala credentes odio habeant.

Vobis enim dico gentibus.

Vertit sermonem ad Gentes, & uult nos affectum suauem & fraternum etiam erga reprobos seruare, nihilq; intermittere, si quo pacto & illos lucrifaciamus, tametsi quodammodo desperati uideantur.

Ministerium meum honorificabo.

Hoc est, p maxima gloria ducerē, si poss: mita multos fratres lucrifacere. Vocat aut̄ Iudeos carnem suā.

Reconciliatio est mundi.

Excæctatio Iudeorum non est reconciliatio mundi, sicut sanguis Christi: sed quia seruit, & occasione p̄fstat reconciliationi multorum.

Quæ assumptio, nisi uita ex mortuis?

Hoc est, tantum miraculū fuerit, quantū si ex mortuis resurgeret. Destituti enim fide, uere mortui sunt.

Cap. XI. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

Neq; conuincit apostolus hoc loco, sub finem mundi I^m
dæos omnes conuertendos.

Quod si primitiæ sanctæ,

Arguit non esse impossibile, neq; absurdum, si etiam
pleriq; Iudeorum resipiscant, quando quidē à tam san-
ctis patribus descenderunt.

Sancta est & conspersio.

Primitiæ farris que offeruntur domino, sua oblatio-
ne faciunt etiam reliquam conspersiōnem sanctam &
benedictam à domino. Nam qui primitias domino con-
secrant, facile reliquis cum gratiarum actione utuntur.
Qui uero primitias non sanctificant, quid postea factū
ri essent? Apparet autem ex primitijs oblatum quiddā
farinæ, & inde tanquam fermentum ad conspersiōnem
seruitum. Per primitias pleriq; intelligunt Christum,
qui ex Iudeorum gente natus est: per radicem autem
patriarchas, quorum rami sunt Iudei.

Quod si nonnulli rami fracti sunt.

In hoc apparet mansuetudo Pauli. Non ferens enim
Iudeis à gentibus insultari, illarum deprimit superbis-
am: et reddit eis in memoriam indignitatem pristinā,
eo quod fuerunt oleastri, id est idololatreæ, non participes
spiritus pinguedinis Christi. Misericordia autem
dei, non suis meritis aggregatæ sunt patriarcharum
& prophetarum societati.

Quod si gloriaris, nō tu radicē portas.

Vide

Vide, inquit, quām stulte gloriari. Gloriari enim quasi tu portes radicem, & Christo aliquid dederis, cū potius à radice Christo accipias, qui nihil à nobis accipit quod sibi accedat, nisi quod peccata nostra tulit.

Fracti rami, ut ego inserar.

Ita oportet loqui, ut nostram impietatem & malitiam non deo, sed nobis: pietatem autem non nobis, sed deo adscribamus. Hoc est enim quod dicit, Fide constitisti. Fides enim in nullo humano opere, sed in sola deo misericordia gloriatur.

Non efferaris anima, sed timeas.

Cum eandem omnes carnem geramus, & non minus ad peccandum, quām reliqui procliues simus, non est quod contemnamus alios. Nisi enim adiuuaremur per dei misericordiam, nos multo grauius caderemus. Afferat igitur alienus casus maiorem timorem dei, & faciat cautores, ne si deum non ut oportet glorificaue rimus, nos quoq; relinquat. Ita Gal. capite 6. Fratres, si preoccupatus fuerit homo, &c.

Nā si deus naturalibus ramis non pe. &c.

Hoc contēplari licet in omnibus qui bonos parentes sortiti sunt, & degenerant. Boni enim parentes naturales ramis sunt, quibus promisit deus in mille millia misericordiam: & uidemus tamen eorum filios reprobari. Quid igitur non timendum, ubi nullæ promissiones parentibus sunt date?

Cap. XI. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

Potens est enim deus iterum inserere illos.

De nullius hominis salute, quia indiu hic uiuit, despes rare debemus, nec ullum licet anathema dicere. De Iudeis autem (cæteris paribus) maiorem spem concipere liceret, quam de Gentibus, propter promissionem parentibus factam.

Nolo enim uos ignorare fratres mysterium.

Mysterium est, non quod omnino silere cogamus, sed quod multis est absconditum. Ea enim Christianorum sunt dogmata, quæ et super tecta prædicare licet. Magnum autem mysterium uel arcanum, quod deus ita uoluit uti malitia Iudeorum, ut nobis bene faceret, et Gentes reciperet.

Et sic omnis Israël saluus fieret.

Id est, ecclesia ex Gentibus et Iudeis in unum ouile congregaretur. Nunquam enim futurum, ut omnes Iudei conuertantur, sicut nec Gentes.

Veniet ex Sion qui eripiat.

Testimonium hoc ab Esaiâ desumptum, non concludit, nisi pro reliquijs Israël. Non enim dicit quod aduenturus sit in fine mundi, sed ablaturus est peccata eorum, nimirum in baptismo spiritus.

Secundum electionem autem charissimi propter patres.

Videntur Iudei exosi apud deum: sed non prorsus exosi sunt. Stabit enim promissio dei firma, sed solis credentibus

RHOM. IO. OECOL. AVTHORE: 82
dentibus. Zach. 6. Erit autem hoc, si auditu audieritis
uocem domini dei uestrri.

Ita & ipsi nunc non crediderunt.

Siquidem emulatione fidei uestræ prouocabuntur,
que principalis causa excæcationis eorum est, ut eis in
bonum cedat: quamuis propter ipsorum malitiā, quia
credere noluerunt, contrario modo eueniat. Sicut ex-
lex quoque sancta est, sed propter nostram infirmita-
tem iram operatur.

Conclusit enim deus oīa sub incredulitate.

In genere quidem manifestum est miseros & pec-
catores fuisse tam Gentiles, quam Iudeos. Et quia suis
uiribus se iuuare non potuerunt, ideo eis deus tanquam
miseris subuenit. De singulis quoque dicere possumus,
quod misericordiam & peccatores, nō percipientes mys-
teria dei, & indigentes miserente deo.

O altitudo diuinarum sapientiæ
& scientiæ dei.

Recte desinit exclamando, occurrentis, & termi-
num ponens curiositatit temere interrogantium: Neq;
enim creatura poterit profundam & copiosam dei sa-
pientiam cognoscere: sed hoc eisatis sit, deum omnia ius-
ste facere, & nihil absq; reconditis rationibus.

Quis enim cognovit mentē dominis?
Nemo nouit nisi filius, & spiritus eius. Et 1. Co-
rinthios 2. Spirituales tantum sciunt, quatenus eis per
spiritum reuelatur.

Cap. XII. ANNOT. IN EPIST. PAVL. AD

Quis prior dedit eis?

Etiam hoc dicto eliditur uis meritorum nostrorum.
quid enim est quod non accepimus?

Quoniam ex illo, & in illum.

Non est necessarium ut distinctionem personarum
hic ponas, sed simpliciter tribuas deo. Ex ipso enim deo
principium est & origo substantiae uniuersorum, id est,
ex uoluntate & potestate eius. Per ipsum quoq; deum
est operatio & continuatio, que ligat, constringit, atq;
coſeruat uniuersa. Et in ipsum deniq; deū sunt omnia.
Quandiu enim uult, omnia eius uirtute manet atq; con-
ſistunt. Et finis eorū est iuxta dei uoluntatem, cuius ar-
bitrio resoluuntur & beatificantur.

C A P V T D V O D E C I M V M.

Obsecro itaque uos fratres,

Paulus ut bonus architectus, postquam iecit
solidū fundamentū fidei in Christū, per quē
solum iustificamur, incipit & superstruere,
non stipulas cæmoniarum, uel inutilium operum:
sed aurum & argentum uerarum uirtutum, que Chri-
ſtianum hominem constituant: nempe obedientiam dei,
charitatem, humilitatem, patientiam, sobrietatem, ius-
ſtitiā, & similia. Vnde discimus quomodo & nos doce-
re oporteat: neq; enim exordiri oportet ab operibus,
hoc enim esset super harenā ædificare: neq; hortari ad
inutilia opera, nam hoc esset stipulas superædificare.

Obsecro

Obsecro fratres.

Vide apostolicam mansuetudinem. Non solum enim vocat fratres quos hortatur, sed etiam obsecrat; sed & per miserationes dei adiurat, quasi dicat: Tantum ualeat illa exhortatio, quantum per hoc misericordiam dei assēquis peratis.

Ut exhibeatis corpora uestra

Quia per fidem didicimus Christum pro nobis sacrificium, & nostram iustitiam, nostra sponte studiosi gratitudinis, etiam ipsi ad sacrificia uertamur: non more Gentiliū uel Iudeorū, q̄ pecora immolabāt, et aliquid dare se deo credebāt: sed uarijs modis fidem exercere conemur, & nos totos deo cōsecremus. Nam dū dicit, Exhibitis corpora uestra: non solum uult nos carnē in obsequium dei offerre, sed uoluntatem & mentem quoq; atque adeò quicquid sumus. Vnde dicimur nosipso sacrificare deo, ferentes crucem & obprobrium Christi. Igitur mens non plus sapiat, quam ex uerbis dei cognoscit. Et licet naturalis ratio refragetur, crucifigēdo tamē se, in hoc cedat ueritati prime, id est deo. Crucifigatur item & uoluntas, ut ea faciat que deo probantur, non quae caro dictat.

Hostiam uiuentem, sanctam.

Viva hostia sumus uiuificati spiritu, & deputati ad eternam uitam, non sicut uictime destinati ad mortem. Sancta autem, si à mundanis contagij alieni fuerimus.

Cap. XII. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

Accepta uero deo, si non composuerimus nos ad laudē hominum, sed placere deo studuerimus. Deo enim placent omnes, qui ipsi placere student. quamuis alij expōnāt, quod sancta hostia deo sit placita, & talis sit rationalis cultus, id est alienus à Iudaico cultu. Regnum enim dei intra nos est. Et deus amat adoratores in spiritu & ueritate. Neq; aberrabis si rationale exposueris, quod iudicium rationis iuxta sp̄iritum dei habet, sicut exponunt quæ sequuntur. Hoc enim est rationale obsequium, non prorumpere ad opus sola imitatione aliorum, & sapere quod caro ipsa docet: sed innouari iudicio mentis, ut solum hoc probes quod deus probat, & uideas quæ sit uoluntas dei. Voluntatem autem dei Voluntas non aliunde cognoscimus, quam ex sacris literis, quæ dei sacris ē uerbum dei continent. Rationalis quoque cultus docebit discernere inter bonū & non bonum, inter acceptū deo & nō acceptū, inter perfectū et imperfectū: id est, inter figurā & umbram, inter lucem & tenebras.

Sapere ad sobrietatem.

Non satis fuerit crucifigere & sacrificare deo extera membra & affectus, sed & rationi ponendus est modus: quod uocat sapere ad sobrietatem. Non enim in textu est de se sentire, sed solum Sentire. Est autem & in nimio appetitu sciendi quedam mentis ebrietas, qua sobrietas perit, nisi quis addictus manserit uerbo dei, uel diuinæ reuelationi: quæ hic uocantur mensura fici.

Necessaria

Necessario aut̄ aberrabitur, nisi lux fidei nos direxerit. Vbi dicitur Sapere ad sobrietatem, posses legere, Sapere ad castimoniam. Habet enim & mens suam castitatem, si non copulauerit se adulterinis dogmatibus. Casta anima solo uerbo dei contenta erit, alia uero tanquam adulterina non cognoscet. Nec tamē ualde interim contradicimus his, qui hæc ad modestiā transferūt uitæ, quam humilitatem uocant.

Sicut enim in uno corpore.

Ne contristeris, si nō apprehendas omnia mysteria: neque enim uni concedit deus omnia, sed uult nos esse in uno corpore uaria membra, in quo unus alterius indigeat ministerio, & alteri non obſtitat. Sumus enim mysticū corpus Christi, ut habes 1. Cor. 10. Unū enim corpus, & unus panis sumus multi. idq; est quod testas mur in sacramento synaxeos esse nos unū corpus, quod nos ad maiorem charitatem admonere debet, nostra sorte contentos.

Siue prophetiam secundum rationem fidei.

Vides hic uarios gradus ordinum ecclesiasticorū. Ordinū ecquomodo non uni omni i conueniant. Primi sunt pro- clesiastico-phetæ, qui reuelant arcana prophetarum & scripturarū gradus, rarum. Secundi, ministri, qui baptismō & mense domini nicæ seruiunt, atq; alijs ecclesiasticis usibus. Tertiij, doctores, qui dilucide tradidit, qd' prophetæ reuelauerūt.

Cap. XII. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

Non enim omnes qui arcana intelligunt, etiam gratiam dilucide docendi habent. Quarti, exhortatores sunt, qui ea quae cum persuasione ab alijs docta mentibus inseruant. Multi enim reuelant, qui docere nequeunt: et rursum, multi nequeunt exhortari, qui reuelant et docent. Quinti, impartientes sunt. Sexti, miserentes, qui in hoc differunt. Nam qui mutuum dant, et de facultatibus suis suppeditant esurientibus ac nudis, imparati dicuntur. Et hos oportet simpliciter dare, et gratis, absque respectu temporalis uel amicitiae uel commodi. Qui uero uisitant agros et captiuos, et afflatis adsunt, hi miserentes dicuntur, et officium suum facere debent cum hilari animo, ac prompta alacritate. Septimi, sunt praesides in quacunq; congregatione: hos oportebit esse officiosos et impigros.

Dilectio non sit simulata.

Ponit charitatis precepta, et ueram dilectionem uult, que non sectatur proprium comedum, neque tegit odium, neque adulacione palpat, neque in necessitatibus deest.

Odientes malum, adhaerentes bono.

In hominibus non naturam odio habeamus, sed peccata. Adhaerere, Hebraico tropo, est diligere, ut Psalmo 62. Adhaesit anima mea post te.

Charitate fraternitatis.

Verbo φιλόσογγοι uult nos sentire blandos et dulces

tes affectus erga dilectos: ita ut nullus rancor uel duris-
ties in nobis delitescat. Nam hoc uerbo proprie signifi-
catur tener ille amor, quem habet mater erga liberos.

Honore inuicem præuenientes.

Non ipse appetas honorem, sed alios honoras: id est,
unumquenq; te meliorem credas, & te honore dignior-
rem: atq; ita inuitatus, locum ultimum capessas.

Solicitudine non pigri.

Non solum honore aliū prosequitor, sed etiā promi-
ptus esto ad seruiendum alijs: sicut Christus uenit mini-
strare, non ministrari.

Spiritu feruentes.

Hoc dicit contra animi tristitia & somnolentia. Est
enim in sanctis prudēs quidā impetus absq; tepiditate,
quem experitur in zelo, precibus et alijs ministerijs.

Tempori seruientes.

Opportunitatem spectare decet, qua fratrem lucre-
mur: quemadmodum & Paulus circuncidens Timo-
theum: qui & pro tempore omnibus omnia siebat.

Spe gaudentes,

Bene speremus de proximo; qd illū aliquādo lucre-
mur, tametsi nō nihil interim nobis accedat afflictionis.

Precationi instantes.

Perseuerare nos uult in precibus, que bene iungun-
tur patientie.

Cap. XIII. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

Necessitatibus sanctorum.

Gr̄ecus dicit χρ̄ιαν, quod est usibus. Non extrema expectes necessitatem, sed quamprimum uideris fratri operam tuam necessariam, illi eam ne deneges.

Hospitalitatem sectantes.

Exemplum de hospitalitate ponit, et iubet sectari hospitalitatem, insinuans non expectandum, donec ad te diuertant peregrini: sed ipse uenēris illos et inquiras, atque adeō intrare compellas, exemplo Abras̄hæ atque Loth.

Benedicite persequentibus uos.

Non solum corde et opere benefacias proximis, sed et affabilitate, et beneprecante sermone amicum te illis persequentibus declara. Longe autem absit imprecatio uel maledictio.

Gaudete cum gaudentibus.

Omnino uult nobis esse eidem cor, et cundem spiritum, ut prospera aduersaq; omnia cōmunia habeamus. Nō loquitur de gaudijs huius seculi, quāuis de bona ualitudine et prosperitate aliorū iure gaudeamus, optates ut illis in gloriam dei cedat: sicut de aduersitatibus dolemus, quibus abstrahuntur à diuino cultu.

Non arroganter de uobis sentientes.

Humilitas bene probat charitatem, si fastuosi nō fuerimus. Nec tēdeat nos conuersationis humiliū, id quod prelati nostri pro piaculo habent.

Nulli malum pro malo reddentes.

Etiam ethnicis non uult nos malefacere. Et satis ta Nota.
xat, quod à gentibus sumpserunt iuris consulti, licere
par pari rependere.

Prouidentes bona.

Charitas maxime appetet erga inimicos. Nō enim
benefacere debemus amicis tantū, sed & inimicis. Insu-
per monet ne ullis simus offendiculo, sed ut fulgeat lux
nostra corā hominibus, quo glorificetur nomē patris.

Sifieri potest, cum oībus ho. pacem, &c.

Quamuis quidam propter atrocitatem suam uos
infestent, illis tamen uos ne dederitis occasionem: sed
offerte pacem ante omnia, & beneficijs studete demul-
cere, ultionem deo relinquētes & magistratui.

Mihi uindicta & ego retribuam.

Dicit Moses ultionem relinquendam esse deo, non
petendam ab eo. Nam qui uindictam petit, animo ul-
ciscitur. Igitur deo committe ut ille ulciscatur, uel non
ulciscatur. Habet enim ultionem, hoc est, potens ad
uindictam est.

Carbones ignis super caput.

Bisariā hæc sapientis sentētia exponit. Benefaci-
endo enim inimicis nostris eos magis reprehēsibiles fa-
cimus: et carbones ignis, id est uindictā, illis inferimus.
Nā per carbones ignis magnam iram dei intelligere.

Cap. XIII. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

possimus, ut Psal. 17. Carbones ignis succensi sunt sub eo. Velo expone, Luciferis illos quantum in te est. Beneficia enim dici possunt carbones ignis, quia inflam-mant etiam inimicos.

Ne uincas in malo malum.

Malo uel homine, uel afflictione ipsa; sed in patien-tia posside animam: immo uince bono malum, id est ob-sequijs & beneficentia hominem malum uincas, & non furorem furore.

CAPVT TREDECIMVM.

Omnis anima potestatibus sit subiecta.

Dicit hoc capite obedientiam, quam magi-strati debemus, nimirum in ijs quae ad iurisdictionem attinent: nam in ijs quae sunt animae, nihil poterit imperare. De hoc habes in episto-la priore Petrica. 2. dicentis: Subditi estote cuiuis hu- mane creaturae propter deum. Neuter tamen de ecclesia stica potestate loquitur, sed de seculari tantum uteq;

Anima.

Hebraico tropo anima pro persona hominis accipi-tur. quasi dicat: Quisquis uitam habuerit, & animam super terram, subditus sit potestatibus. Vnde locus hic aduersatur privilegijs clericorum & monachorum: si eut bene hoc loco annotat Origenes, & Basilius quoq; in regula monachorum, cap. 97.

Non est potestas nisi à deo.

Mag.

Magistratus, etiam si fidem persecutur, potestatē Notā.
Juam habet à deo, licet illa abutatur. Nam & oculos no-
strōs, & alia à deo esse fatemur, quibus tamen non ras-
tro abutimur. Neq; Pilatus habuisset potestatē cōtra
Christum, nisi ei supernē fuisset data. Et apud Hieremī
am Nabuchodonosor seruus dei & columba dicitur.

Quæ uero sunt potestates.

Quia semper inueniuntur aliqui mali, propterea
opus est magistratibus, per quos coērceantur. Nam si
omnes essent boni, neque legibus neque iudicibus foret
opus. Lex enim iustis non est posita. Ceterum hic disci-
mus ius gladij institutum esse à deo, idq; à primis tem-
poribus. Nam & quum Cain occidisset Abel, intellige-
bat se dignum qui occideretur, quamvis deus mox illū
eximebat. Item Genesis nono. Iterum datur lex con-
tra homicidas, Exodi 21.

Propter conscientiam.

Non intellige, quod iudex secularis possit obstrin-
gere conscientiam alicuius, si pro sua libidine leges san-
ciat: sed ideo oportebit subdī illi, ne offendatur pax pu-
blica, & ordinatio dei. Neq; enim contemnendus est, ne
que dandum est offendiculū alijs, nisi forte aliquid pre-
cipiat, quod anime saluti obsit, in quo non sunt curādi:
ut Matth. 10. dicit dominus, Nolite timere eos qui oc-
cidunt corpus, animam autem occidere nō possunt. Et
ut est Actuum 5. Deo magis quam hominib[us] obedire

Cap. XIII. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

oportet. Quinetiam nulla creatura leges ponere poterit animabus. Nam quum nullius sit iudicare, et leges ponere, nisi eius qui norit vim eorum, quibus ponit legem: et deus solus scrutator est cordium: igitur de his solis deus precipere potest uerbo suo. Gen. I. Creatus est homo, ut praesit uolatilibus coeli, et piscibus maris, et animantibus terrae: hoc est, caro carni, sed non spiritibus et conscientijs. Nam quo ad conscientias, aequales sumus, et unum dominum Christum agnoscimus. Sanè ecclesiastica potestas, si uerbo dei præcipiat, iam non ipsa, sed deus præcepisse dicitur.

Cui tributum, tributum.

Tributa pendent possessores, et incole terrae: uectigalia, negociatores. Timorem habemus dominis, honorem uero alijs dignitatem gerentibus. Origenes duo illa, hoc est tributum et uectigal, cæsari, id est terrenæ potestati deberi dicit: timorem uero et honorē, deo: quia deus solus timor noster esse debet, atque illi soli seruire debemus. Porrò honor quidem est inferior eo quem deo debemus, sicut scriptum est de honorandis parentibus: et is non est denegandus primatibus: et si non ob aliam causam, certe uel ob hanc, ut fauientes sint Euangelio.

Nemini quicquam debeat is.

Omnium operum uestrorum regulam et directri-
gem habete charitatem: quam si saluam seruaueritis, no
peccabitis.

peccabitis, neq; uos aliquis ultra obstringere poterit.
Hinc etiam petendæ sunt regulæ in contractibus, &
alijs causis: de quibus lex nihil præscribit.

IN HOC VERBO RE=
CAPITVLANTVR.

In hoc sermone summatim comprehenditur (sic ut
& dominus dixit) pendere à præcepto charitatis, legē
& prophetas. Unicum enim Christianorum est præce-
ptum, charitas: que in se complectitur beneficentiam
& innocentiam, hoc est, ut benefaciamus alijs, & ne-
minem offendamus.

Et hoc scientes tempus.

Quia recapitulationem legis posuerat, & sublata
sunt onera & umbra legis, exhortatur à ratione tēpos-
ris, ne fiamus posteriores ijs qui sub lege uixerunt: &
monet ita uiuendū, quasi nūc instet dies ultimus, nē pe-
dies iudicij, cuius memoriā frequenter inculcare solet.

A somno surgere.

Somnum uocat ignauiam & torporem: ita & domi-
nus nos uigilare iubet.

Nox progressa est.

Vitam nostram reliquam crepusculo comparat. qua-
si dicat: Satis diu peccatū est, nō sunt iam adiicienda pec-
cata peccatis: sed ita instituenda uita, quasi mox adecum-
bus sit iudex. Per diem intellige diem iudicij.

Cap. XII. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

Ab̄iſciamus ergo opera tenebrarum:
Opera tenebrarum dicit, quæ lucem diuini iudicij
ferre nequeunt: opera autem lucis, de quibus non eri-
bescimus in die iudicij.

Sicut in die honeste ambulemus.

Viuamus tanq; domino presente & iamia iudicaturo.

Non enim in comedationibus. &c.

Inter opera tenebrarum numerat gulam & libidi-
nem, quibus malis obnoxij sunt fortunatores: conten-
tionemq; & emulationem, quibus laborant hic, qui ad
uersam experiuntur fortunam.

Sed induamini dominum.

Ad exemplum Christi iubet uitā instituere, & hoc
est induere arma lucis. Intrepide enim ipsum accedi-
mus, si ad exemplum eius uitam instituerimus.

Et carnis curam non feceritis.

Docuit quid deo, quidq; proximo debeamus subdit
quid & corpori. Bene autem habita mentione iudicij,
ad temperantiam hortatur: hoc enim & dominus ob-
seruat, iubens ut caueamus à crapula & ebrietate, ne
repente obruat nos dies iudicij. Non prohibet autem
simpliciter omnem curam corporis, sed nō uult nos ef-
fectori uoluptatum & concupiscentiarum. Quod
si omnino uoluptates querimus, queramus non pecui-
nas, sed cœlestes & angelicas. Certissima autem regu-
la tractandi corporis est, si in seruitutem instar iumenti
rediga-

redigatur. Equus qui delicatius pascitur, dominū suum excutit: qui uero premitur inedia in medio itinere deficit. Moderatione igitur maxime opus est.

CAPVT QVARTVM DECIMVM.

Infirmum autem in fide assumite.

In hoc capite tractat de ratione ciborum, de non temere iudicando, & de cauendo scandalo. Infirmus est, qui facile offenditur, & in Infirmitate cognitione Christi, ac libertatis, quam ille sanguine suo peperit, parū profecit: talis assumēdus est, hoc est, cum mansuetudine tractādus, ne retrocedat. Sanus aut, qui scit libertatē Christianā, quod omnia mūda sint mūdis. Sanus.

Alius quidem credit.

Alius, sanus scilicet, is non habet delectū ciborum, sed scit bona conscientia se quibus libet posse uesci.

Oleribus uescitur.

Non putans licere uesci carnibus, & in hoc ignorans quanta libertas sit Christianorum.

Qui uescitur, non uescētē non spernat.

Signanter dicit de iudicio, quod sani iudicent quibus libet licere uesci. Nō dixit quod uescātur, aut quod necessariū sit uesci credentes. Libera enim illa sunt, & uoluntati hominis subiecta: & propterea cauendum, ne hinc rapiatur dissidorum materia, dum alter alterum despicit, uel iudicat.

Cap. XIIII. ANNOT. IN EPIST. PAVL. AD

Qui non manducat, &c.

Infirmum significat.

Deus enim assumpsit illum.

Satis est illi quod ad gratiam est uocatus, etiam si non ieiunet.

Tu quis es?

Hic temerarium iudicium reprobatur, quod et dominus Iudee et prohibet, idque varijs argumentis. Primus, non iudican qui omnes ex aequo sumus servi dei, et proinde non est dum. nostrum iudicare. Deinde quia solius dominus est iudicare, et cognoscere arcana hominis. Vnde iudicium domini usurpat, qui aliud iudicat. Denique nunc non est tempus iudicandi; sed post hanc uitam, quando omnes facti tuerur ad tribunal Christi, iudicabitque Christus.

Potens est enim deus statuere illum.

De misericorde deo meliora presumimus, quod etiam infirmos ad pleniorum sui cognitionem adducat.

Nam alius iudicat diem, &c.

Sicut Christiani ne sciunt delectum ciborum, ita et discrimen ignorant dierum, habentes perpetuum sabbatum. Ceterum statim dies quibus feriari solemus, propter infirmos seruantur. Itaque sanus in fide est, quem nouit omnem diem disiudicare tanquam sanctum: infirmior autem, qui inter diem discernit. Neque haec sola de Iudaicis festis intelligimus, sed de omnibus diebus.

Nota. Dies enim propter hominem facti sunt, non homines propter

RHOM. IO. OECOL. AVTHORE. 98

pter diem. Et dominus est filius hominis, etiā sabbati.

Vnusquisque suæ menti satis faciat.

Hoc est, unusquisq; suam ita instituat uitā, ut se deo placere sciat: & quod agit, cū gratiarum actione agat. Iā non de iudicio agit, sed ope ipso: hoc est, siue edimus, siue feriamur, siue nō feriamur, gratias agamus dco.

Nemo enim nostrum sibi uiuít.

Argumentum à maiori quasi sic arguat: Tam non sumus nostri iuris, ut siue uiuendum sit, siue moriendū, gratias agamus dco, cuius sumus, & per quem redempti sumus: quanto magis in edendo, uel nō edendo, gratos esse oportet?

In hoc enim Christus mortuus est.

Agnoscet magnitudinem imperij Christi, qui & uiuentes occidere, & suscitare occisos potest. Præterea & in hoc sensu intelligere potes, quod à domino cōseruemur uiuentes ac mortui.

Tu, scilicet infirme cur iudicas, &c.

**Omnes enim stabimus ante
tribunal Christi.**

Tertia ratio propter quā uitandū temerariū iudicium: quia unusquisq; de seipso rationem reddet.

Non ergo amplius inuicem iudicemus.

*De uitādo scandalo agit, de quo hanc regulam habet:
In his quæ fiduci sunt, uel diuini præcepti, offendiculum*

Cap. xiiii. ANNOT. IN EPIST. PAVL. AD

non curabis : in ijs uero quæ indifferentia , charitatē in consiliariā adhibe: id enim erit faciendum , quo pluribus prodeſſe poſſimus . Studiū quidē nobis eſſe debet , quo modo aedificemus proximum : quem si iuuare non poſſimus , ſaltem ſcandalō ei ne obſimus .

Quia nihil cōmune per ſeipſum.

Cōmune uocatur impurū , & quod coinquinat , Hebraico tropo . Atqui nulla res per ſe inquinata eſt : ſed conſciencia nescientis quā libertatē per Christū habet . Si enim propter cibū frat . t . contrift . &c .

Sicut Christianos ueritas uere liberos facit ab obſeruationib⁹ legalibus , ita charitas ſeruos facit .

Noli cibo tuo perdere illum.

Charitas requirit , ut ſicut Christus pro me paſſus in corpore toto , quo redamē illū in omnibus mēbris eius . Membra aut̄ eius proximos dicimus , quos ita diligere debemus , ſicut Christus nos dilexit . Quando autē moriemur pro proximo , qui à cibo nondū abſtinemus ? Non ergo blaſphemetur noſtrū bonum .

Bonum noſtrum perfecta libertatis cognitio , que blaſphematur , ſi ignorata fuerit charitas , & abutamur illo in deſiderijs carnis : quibus ſolis declaramus nos Christianos .

Non eſt enim regnū dei in cibo & potu .

Per cibum & potum intellige extera que uis : nā ab internis Christianum diſcimus : & regnum dei intra nos

nos est: fides iustificat & quietat conscientias.

Sed iustitia & pax.

Iustitia nostra in Christo est: fide autē iustificamur. Pax, securitas coram deo ex Euangelicis promissionibus. Gaudiū in spiritu sancto, id est spirituale quod pacem cōsequitur, & etiā in medijs aduersitatibus durat.

Qui enim in hoc seruit Christo.

Per charitatem quæ sequitur iustitiā & fidē tanquam singulari dono dei, etiam hominibus probamur: at non item per cognitionem libertatis.

Noli propter escam destruere opus dei.

Vsq; adeò cura tibi sit proximi, ut etiam commodi p̄prij obliuiscaris: tantū abesse debet, ne cibo offendas illū. Deū enim cuius opus est, obseruare in illo debes.

Omnia enim munda mundis.

Vt est Gen. 1. Vedit deus, & omnia erant ualde bona.

Sed malum est homini.

Malum à nobis est, si charitate destituti contempserimus fratrem: tunc enim bonum fuerit non edere carnes. Et non dicit simpliciter, Bonum est non edere carnes: sed ideo, ne frater peius habeat.

Tu fidem quam habes.

Si quis obijciat, decere, ut illa libertas declaretur apud alios: huic respōdet nō opus esse talis fidei ostentatione, si proximo periculum immuneat. Nam satis fuit eam deo esse notam.

Cap. xv. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

Beatus qui non iudicat seipsum.

Beatus qui non facit contra conscientiam suam: miser uero, qui contra conscientiam facit. Beatus qui non aliud facit, quam quod probat, hoc est, cognoscit utile: Condemnatus autem, qui dijudicat aliquid non agendum, & nihilominus agit.

Quia non ex fide.

Fides hic est credere, quod deo placeat quod facis. In hoc peccatur dupliciter: uel in manifeste malis, quae nemo debet credere deo probari: uel in speciem bonis, si dubitamus an placeant deo. Scire autem debeimus, quod deo placemus per Iesum Christum, & non ex operibus nostris. Nam ubi per Christum grati fuerimus facti deo, etiam opera nostra grata erunt, siue edamus, dormiamus, &c. Atqui fides illa mox ad charitatem extimulabit.

CAPVT QVINTVM DECIMVM.

Debemus autem nos firmiores.

**Infirmi nō
cōtemnēdi.**



*Vobis infirmiores, qui adhuc obseruat delectum dicrum ac ciborum, non sint contemnendi, nunc docet generali regula ostendens debere nos omnium infirmorum habere curam. Et obserua verbum Debemus: neque enim tanquam consilium, sed praeceptum hoc iniungit. Namq[ue] ideo fortiores amplioribus viribus præditis sunt, ut ins
firmiores*

firmiores iuuent, & non propter scipios . Etenim sicut oculus uidet toti corpori , & similiter manus laborat toti corpori : ita & singuli vires, ut seruiamus alijs , res cepimus . Vnde igitur iniquis dispensatoribus , uel talentum recondentibus .

Infirmitates.

Infirmates uocat ignorantiam, morositatem, amaritudinem, procacitatem . & si que id genus, quas apud Galatas capite 6 . uocat onera, dicens : Alter alterius onera portate . Porro aliud est ferre infirmitatem , & aliud conniuere ad malitiam . Maledicitur pastor apud Ezech. qui infirma non consolidat, & confracta non al-ligat: cōtrā, bonus pastor seipsum lupis obijcit, ut oves seruet . Exemplo sit mansuetissimus Moses , qui perui-tacissimam Iudeorum gentem, toties obmurmurantē, & lapidantem, tam longanimiter tulit .

Et non nobis ipsi placere.

Sibi ipsi placere hoc loco, est querere commodum proprium: placere autem proximo , est querere utilitatem proximi, idq; non animo tristi, sed lato ac hilari, & in bonum proximi . Benefacere enim proximo ut offendas & contristes, non fuerit benefacere . Alijs prohibetur uelle placere proximo , id est, habere & affectare laudem à proximo, ut Gal. 1 scribit: Ego si hominibus placere uellem, dei seruus non essem.

Cap. XV. ANNOT. IN EPIST. PAVL. AD
Etenim Christus non sibi placuit.

Efficacissimo exemplo Christinos docet, ne placeas
mus nobis. Dicis autem, quomodo Christus sibi ipsi pos-
tuit desplicere, qui summe bonus, & peccatum non fe-
cit? sed ad hoc dicit, quod semetipsum exinanuit pro-
pter nos, prodigus sui sanguinis & uitæ, perinde ac si
seipsum odio haberet. In hoc igitur Christū sequi debe-
mus, ut odio habeamus animā nostrā in hac uita, & sic
in æternū custodiamus. Porrò qui contemnunt infirmio-
res, peculiariter sibi placent, & sapere sibi uidentur.

Opprobria opprobrantium tibi.

Est apud Psalmen psalmo 68. qui totus in Christum
dictus. Hoc autem uersu prædictum fuit, quod quic-
quid alij peccarent in deum, hoc Christus dolebat &
serebat: id quod & apud Esaiā capite 53. habes, quod
iniquitates nostras tulerit. Huius dicti & nos in conuis-
cijs memores esse oportet. Neque enim seruus domino
melior est: neq; rarum si ministri dei male audiant. Nō
enim possunt placere mundo. Vnde & Matth. 5. Bea-
ti eritis, si maledixerint uos homines propter me. Et
Ezech. 36. Pro eo quod desolati estis, & cōculati per
circuitū, & facti in hereditatem reliquis Gentibus, &
ascendistis super labiū lingue, & opprobriū plebis.

Quæcunque enim scripta sunt.

Ne quis putet testimonium prophetæ temere ad-
ductū, dicit propriū esse sacris literis, ut meliores nos
reddant,

reddat, alioquin à fabulis & prophanis nihil distaret.
Et ex solis sacrī literis spes solida concipi potest, quod
in Gentiliū disciplinis denegatū est. Neq; enim certum
uerbū habent quo recte fidas, quādoquidem omnis ho-
mo mendax. Quæ autem in sacrī tradita sunt, fallere
nequeunt, utpote à spiritu sancto dictata.

Vt per patientiam & consolationem.

Vel quia scripturæ sacræ patientiam & consolatio-
nem docent: Vel quia continuo & patienter in illis uer-
sandum, & lac consolationis earum fugendum est.

Deus autem patientiæ.

Ad finem transiens epistolæ, familiariter quedam
adixit: & primum Rhomanis precatur, ut omnes ue-
re sapient ea que sunt digna Christo: ita enim uocat sen-
tire secundum Christum. Vnde & futurum, ut & uno
ore glorificent deum. At qui nemo Christum recte sa-
pit, qui regnum eius adhuc in externis illis sitiū putat.
Spirituale autem regnum eius est: quod si saperemus,
statim ad unitatem perduceremur, & non digladiare-
mur de externis. Deū patientiæ & consolationis uocat,
quia author est patientiæ & consolationis.

Propter quod suscipite inuicem.

Semper inculcat exemplum Christi. Valde efficaci-
ter Christus nos assumpsit, & adiuuit, non egens no-
stro auxilio. Nos autem imbecilles alter alterius auxi-
lio opus habemus.

Cap. XV. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

In honorem dei.

Omnia faciebat Christus in gloriam patris. Vnde eodem animo & nos proximis cupiamus prodesse.

Ministrum circumcisionis.

Ecce Christus seruuit Iudaeis & Gentibus. Iudaeis, quia ex eis natus fuit, & similiter cum eis legem Mosi seruauit. Gentibus uero seruuit, missis ad illas apostolis. Vtrunq; autem fecit Christus in gloriam dei. Nam Iudaeis seruuit, ut appareret ueritas dei, quia promissus erat semini Abrahæ: Gentibus uero, ut pateficeret misericordia dei. Hoc autem quibusdā testimonijs scripturæ & Psalmorum ostendit.

Deus autem spei.

Secundo precatur, ut consummentur in uirtutibus. Neq; enim solum initium eis imprecatur, ut sentiant quæ sint digna Christo: sed cupid ut impleantur omni gaudio & pace: id est, ita digna sentiant de Christo, ut gaudeant, & securi sint, & exuberet spes eorum, utq; spiritus sanctus potenter operetur in eis. Apud Græcos est πληρωται infinitius, et subaudi concedat uel det, quod à prima preicatione repetitur.

Persuasum enim habeo.

Excusat se apostolus, quod non tanquam ad malos uel indoctos scripsit, sed quod uniuersitati Gentium prodesse cupies, officio suo fungeretur. Nā sicut ca. 1. dictū est, nō scripsit Rhomanis ceu cōtētiosis, sed ut per illos totū

RHOM. IO. OECOL. AVTHORE. 94
toti orbis suleret, eo quod Rhoma caput erat orbis.

Quoniam & ipsi pleni estis dilectione.

Non loquitur de perfecta plenitudine, qualis in Christo, uel præcipuis apostolis, sed de ea quæ discipulorum. Amat enim scriptura in loquendo simplicitatem quandam, iuxta quam & impletos uocat. Alioqui nemo tam bonus uel doctus est, cui nihil addi possit, id quod satis liquet ex eo quod additur, Valentes inuicem admonere.

Audacius enim scripsi uobis.

Id est fidentius, ita ut possit audacia uideri: sed non est omnino audacia, sed fiducia potius.

Commonefaciens.

Vides perfectioribus etiam admonitione opus. Et non est mirum ab apostolis admoneri, quum Mosen & sacer ietro multo inferior admonuerit.

Propter gratiam quæ data est mihi.

Quam gratiam præ alijs à deo consequutus sit, con sequenter habes. Primo enim plus alijs laborauit in cō uertendis Gentibus: ideo administrat Euangeliū, ut fiat oblatio Gentium, id est, ut Gentes offerantur, & ac cedant ad Christum. Discipuli enim & auditores dicū tur esse uictima doctorum, quam immolant cultro uer bi dei, & per spiritum sanctum: qui & sanctificantur, dum sanctam uitam in illis spiritus operatur.

Cap. XV. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD.

Habeo igitur quod glorier.

Secundo manifesta est gratia Pauli, quod uerus & fi-
delis minister sit, quod nihil per se uel loquutus sit, uel
fecerit in administratione Euangelij: sed Christus ope-
ratus est per eum. Et ita non solum habet a deo quod
administrat, sed & quod fideliter administrat.

In uerbo & factis, in uirtute signorum.

Tertio manifesta est gratia eius, eo quod doctrina
ipsius uarijs modis probata sit: nempe potentia uerbi,
factorum, signorum, & spiritus.

Circumiacentibus regionibus.

Vt Arabia, & Damasco, & Antiochia.

Ne super alienū fundamētum ædificare.

Quarto, gratia Pauli gloriōsior est, quod sua ædifi-
cia a fundamentis extruxit, et absq; adiutoribus, eo qd'
Gentibus prædicauit, qui antea prophetas non audie-
rant. Apostoli uero prædicarunt Iudeis, qui recepe-
rant prophetas. Tametsi nemo aliis frequentior sit in
citandis prophetarum testimonij: quamuis prophetæ
ab initio ignoti essent Gentibus.

Sicut scriptum est.

Esaie 65. ubi non de Paulo propheta loquitur, sed
de uocandis Gentibus.

Propter quod & impediabar.

Excusat tardiorē suum ad Rhomanos aduētum,
il quod & ca. i. fecit. Excusat autem se duabus rationi

bis.

bus. Primo propter Euangelium annuciandum, Secundo propter diaconatum, eo quod pauperibus Hierosolymitanis eleemosynam allaturus erat.

Nunc autem proficiscar.

Opportune incidit in memoriam eleemosynæ, ad quam aliorum exemplis uafre Rhomanos prouocat, non eis dure præcipiens. Vocat autem eleemosynā cōmunicationem, eo quod eleemosyna cedat in utilitatem tam dantis, quam accipientis.

In pauperes sanctorum.

Duplici ratione dicit dignos misericordia Hierosolymitanos, & quia pauperes erant, & quia sancti ac fideles. Laborabatur autem Hierosolymis penuria an nonæ, quæ tēpore Claudi⁹ imperatoris erat. Insuper et ppter persequitionē, sœuiores Iudei in pauperes erāt.

Et debitores sunt eorum.

Debitum est subuenire doctorum necessitatibus, ut habes 1. Corinth. 9. & Gala. 6. & Matth. 10. Sed torquent hunc locum quæstionarij & Papistæ, qui hoc nomine suas indulgentias uenditant & cæmoniarum onera, quæ docent ad grauandas conscientias. Nam carnalia & damnoſa communicant, & ditiores ipsi à pauperibus exigunt.

Et assignauero fructum hunc.

Suam fidem indicat in reddenda eleemosyna: ut discessas non derogare dignitati episcopali agere officium

Cap. XVI. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD
diaconi, si necessitas uel charitas requirat.

Vt adiuuetis me in orationibus.

Iterum indicat desiderium suum ueniendi Rhomā: quandoquidem summis precibus rogat, ut pro se intercedant, ne impediatur.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

Commendo autem uobis Phoeben.

Onamuis ultimū hoc caput fermē in solis uersetur salutationibus & commendationibus, non tamē inutile est. Discere enim potes, qui bus laudibus siue titulis Christiani prædicandi snt. Nā qui hic laudantur, non laudantur à diuitijs, ab eloquentia, uel potestate seculari: sed à charitate, simplicitate, obedientia, fortitudine fidci, & fidelitate ministerij. Quin & in titulis ac epithetis relucet mira simplicitas. Vocātur enim ministri ecclesie, adiutores in Christo, dilecti, multum laborantes in domino, insignes inter apostolos, probati in Christo. Præterea uides hic haberi nullum respectum personarum. Nam à salutatione & ministerio etiam mulieres & domestici nō fuerunt reiecti. Hodie dissimilis facies est ecclesiae.

Ministra ecclesiae.

Qualiter mulieres ministrent habes ad Titū ca. 2.
ut doceant iuniores, & scruiant alijs.

Vt eam suscipiatis.

Valde

RHOM. IO. OECO. AVTHORE.

69

Valde prædicatur hospitalitatis uirtus. Phœbe illa
quia hospitalis fuit, meruit etiam ab alijs hospitari. Et
quia omnes sanctos hospitio suscepit, meruit & Paulus
suscipere, quomodo Loth & Abraham ob eximiam ho-
spitalitatem angelos habere meruerunt.

Digne sanctis.

Fideles sancti dicuntur, eo quod sancti in Christo, cui
seruiunt, & non mundo.

Salutate Priscam & Aquilam.

De his habes Act. 18. quod eiusdem opificij fuerint
cum Paulo: & laudantur propter gratitudinem & co-
fessionem fidei: parati enim erat mori pro Paulo. Aquila
nomen uiri est.

Item quæ in domo illorū est ecclesia n.

Vides & paucos fideles ecclesiam uocari.

Primitiæ ecclesiæ Achaiæ.

Id est, qui primus inter Achæos credidit.

Salutate Mariam,

Maria apud Hebreos crebrum nomen. Certum est
illam habitasse Rhomæ.

Salutate Andronicum & Iuliam.

Hic creduntur fuisse ex septuaginta duobus discipu-
lis: quia dicit insignes fuisse inter apostolos, & olim fue-
rati capti cum Paulo.

Osculo sancto.

Cap. XVI. ANNOT. IN EPIST. PAVLI AD

Iuxta patriæ morem loquitur. Oſculum autem di-
citur ſanctum, uel quia caſtum, uel quia abſq; dolo: &
ſinceræ charitatis ſymbolum.

Salutant uos ecclesiæ.

Tanta uoſtra laus eſt, ut omnes ecclesiæ, ubi uobiſint,
uobis bene precentur propter Christum.

Rogo autem uos fratres.

Bene commendat eis doctrinam ſuam apostolus, ne
à pseudoapostolis ſeducātur. Doctrina autē ſummaria
Pauli ſuit, fide in Christū ſaluatori, nō ex operibus: Pſeu-
doapostoli autem docēt Iudaicas cæremonias, et à fide
abducunt ad opera.

Qui diſſenſiones faciunt.

Non omnia diſſidia ſunt timenda, ſed ea que ſunt co-
tra apoftolicam doctrinam.

Christo non ſeruiunt.

Docet internoscere inter ueros & falſos apoftolos.
Veri apoftoli querunt gloriā Christi, cui ſeruiunt cū
omni ministerio: falſi apoftoli gloriā Christi non ma-
gnificiunt. Veri apoftoli querunt que utilia ſunt alijs:
pseudoapoftoli ſunt mancipia ſui uentris. Veri apoftoli
docēt uerbo dei: falſi uero blandiloquētia et adulatiōne
nō curantes uerbū dei, quod & deprauare nō timent.

Veſtra enim obedientia.

Tanto magis debetis conſulere uobis, quo magis
obedientes prædicamini, ne falſi apoftoli abutantur
obedientia & ſimplicitate ueſtra.

Sapiētes

Sapientes in bono, simplices in malo.

Non omnis simplicitas bona est. Oportet enim simplicem esse ad malum, ita ut neminem affligas: sapientem uero ad bonum, & ad intelligend: diuina mysteria, uel ad benefaciendum proximo.

Deus autem pacis conterat sathanam.

Per sathanam intelliges omnes qui obſiſtunt ueritati, ſiue ſint falſi apostoli, ſiue alij, quos deus breui conteret: non enim ſinit ultra ſuos tentari quam ferre poterint, uel diutius quam expediāt.

Salutat uos Eraſtus quæſtor ciuitatis.

Hinc apparet Christianos fungi posſe magistratu.

Cum omnibus uobis,

Etiam cum illis quos non nominaui, uel quorum nomina incognita mihi.

Ei autem qui potens est uos confirmare.

Desinit in gratiarum actionem, & quod p̄e omnibus querebat, ſoli deo omnem gloriam tribuit.

Soli sapienti deo.

Obſcuritatem huius hyperbati facile intelliges, ſi poſtremo loco legere cœperis, Soli sapienti deo gloria in ſecula: & regrediaris ad initium, Ei qui potens eſt. Et laudat in deo potentiam & sapientiam.

Confirmare.

Etiam ſi ego nō ſcribā, uel confirmē uos, deus abſtine poterit. Et ita coſfirmat fidē illorū à potentia dei.

Cap. XVI. ANNOT. IO. OECOLAMP.

Iuxta Euangelium meum.

*Supra capite 1. dixit se nō pudere Euangelij: unde
hic Euangelium suum uocat.*

Secundum reuelationem.

Evangeliū quid. Definit qd sit Euangeliū suū. Est enim Euangeliū re-
uelatio secreti, quod multis temporibus fuit ignoratū,
et p prophetas prædictū, et p apostolos annunciatū.

Mysterij.

Secretum autem illud fuit, quod omnes gentes in fia-
de, et non operibus suis saluentur. Et ne quis putet te-
merariam prædicationem apostolorum, cōmendat et
sapientiam dei, qui hoc mysterium patefecit iuxta præ-
destinationem, id est, sicut sibi placitum fuit.

Soli sapienti deo.

*Qui si solus deus errare neqt in factis suis, et ppter ea
nō est illi obmurmurandū; sed gloria dāda in omnibus.*

Cui honor & gloria,

*Ille glorificetur, cuius solius est gloria. Quamuis aut
glorificetur per Iesum Christum, una tamen gloria est
patris et Iesu Christi.*

ADNOTATIONVM IN EPISTO-
LAM PAVLI AD RHOMA-
NOS, IO. OECOLAMPA-
DIO AVTHORE,
F I N I S.

PRAE CIPVORVM LOCORVM IN

Adnotacionibus Ioannis Oecolampadij, super
epistolam diui Pauli ad Rhomanos,
cōtentorum Index. In quo A,
priorem chartæ faciem,
B, uero secundam,
denotat.



Nobis est, auerti à deo: à deo uero, ut per-	
petuo illi adhæreamus. charta	15. A
Abel imitandus.	51. B
Abrahæ filij qui.	70. A
Abrahæ filius Isaac, nati saluatoris typum gerit, &c.	
charta	70. A
Abraham à signo circuncisionis duas habuit utilitates.	
charta	38. A
Acceptio personarum non est apud deum.	71. A
Adhærere est diligere.	84. B
Adhærens creaturæ, uanus fit: deo uero, diuinus.	16. A
Adoptio in numerum filiorū dei, non fit per externum	
opus.	26. A
Adoptionis spiritum qui accipiunt.	62. B
Amicorum officia, ac conditiones præcipuae quæ.	6. A
Anima casta solo uerbo dei contenta.	84. A
Apostoli ueri & falsi in quærendo diuersi.	96. B
Apostoli, quo ad ministerium, serui: quo ad mysteriorū	
agnitionem, amici dicuntur.	3. B

I N D E X.

Apostolorum non est agere principes & tyrannos, sed
patres & amicos. 6. A.

B

- Baptismi nomine ad cōfessionē nos urget, perfectamq;
à nobis exigit fidem. 48. B.
Baptizatus quid de se debeat sentire. 50. A.
Bonus pastor seipsum lupis obiicit, ut oves seruet.
charta 92. A.
Bonis semper sunt aliqui, licet ignorentur ab hominis
bus. 78. B.
Bonum nostrum quid, & quādo blasphemetur. 90. B.
Bona omnia ad largitorem cooperatoremq; deum: mæ
la uero ad uoluntariā rationalis creaturæ nequitiā
referenda sunt. 66. A.

C

- Ceremoniae non omnino prohibentur, que fiunt tan-
quam opera charitatis: sed negatur quod faciant ius-
tos. charta 25. B.
Caro totum hominem significat, tam internum, quam
externum. 32. A.
Caro Christi, & ipse Christus, signum est reconciliati
patris. 39. A.
Carnis affectus qua de causa contrarius dicatur deo.
charta 60. B.
Carnes non edere, quando bonum sit. 91. A.
Carnales, inimici sunt dei. 60. B.
Carnales

I N D E X.

<i>Carnales quicquid agunt, mortale est: spirituales uero, uitale.</i>	60.B
<i>Commune dicitur impurum.</i>	90.B
<i>Coniugia duo ponuntur.</i>	53.A
<i>Consecremus nos deo.</i>	83.A
<i>Corpus mysticum sumus Christi.</i>	84.A
<i>Corpori quæ debentur.</i>	17.A
<i>Corpore glorificatur deus continentia, castitate, &c.</i>	
<i>charta</i>	15.B
<i>Credere se absque operibus post peccata iustificari, res ardua.</i>	38.A
<i>Xægis quid.</i>	5.A
<i>Charitas præceptum Christianorum.</i>	88.A
<i>Christus finis legis.</i>	75.B
<i>Christus præsignatus per Melchisedec.</i>	4.A
<i>Christus est secundus uir noster.</i>	53.B
<i>Christus liberat nos à tyrannide peccati & mortis,</i>	
<i>charta</i>	58.B
<i>Christum nemo recte sapit, qui regnum eius adhuc in externis situm putat.</i>	93.A
<i>Ad Christum qui pertinent.</i>	61.B
<i>Christianus ab internis agnoscitur.</i>	90.B
<i>Culpa sua qui pereunt.</i>	77.A
<i>Culpam adscribere deo malorū quæ agimus, nullo modo phas est.</i>	66.A

D

Debitū est, doctorū subuenire necessitatibus. 95.A

INDEX.

- D**eus comparatur figulo. 72.B
Deo qui placeant. 83.B
Deum iudicantes qui sunt. 28.A
Desperandum de salute hominis non est, dum hic uiuit.
 charta 81.B
Diabolus dicitur *τοντός*. 18.B
Diabolus suum meretur honorem. 27.A
Dignitatum gradus quinq;. 25.A
Discrimen inter spem & rem. 64.B
Discrimen inter bonitatem, patientiam, & lenitatem,
 quod. 21.A
Doctoris fidem ac benevolentiam esse suspectam, dia-
 bolo gratum, auditori uero pestilens est. 7.B
Doctrinæ falsæ sunt quasi cadavera. 31.A
Dona spiritus, spiritus dicuntur. 61.A
- E**
- E**cclasticus principatus est ministerium. 3.B
Eleemosyna uocatur communicatio, eo quod cedit in
 utilitatem tam dantis, quam accipientis. 95.A
Electi sola gratia sunt assumpti. 79.A
Esse in carne quid sit. 61.A
Euangelium quid sit. 97.B
Euangelium gratius est lege. 4.A
Exempla non queuis assumenda. 35.B
Exterior homo instrumentum peccati. 51.A
- F**
- F**ides semper augripotest, dum uiuimus. 81.B
 fides

I N D E X.

- Fides quid operetur. 42.B.43.A
 Fides ad opera cōfert.sicut vita ad alimentum. 12.B
 Fides magnum opus,dum ratio uincitur. 42.A
 Fidei carentia uertit omnia in peccatum.char. 25.B
 & charta 30.B.& 35.B
 Fidem habens in Christum,totam legem seruat. 26.A
 Fide iustificamur coram deo ,& per legem coram ho-
 minibus. 32.A.& 34.B
 In fide morientes sunt apud Christum Iesum. 58.A
 Fide iustificamur. 91.A
 Filii Abrahæ qui. 70.A
 Fratribus subueniendum , quamprimum causa postu-
 larit. 85.B
 Fructus peccati.confusio & erubescencia. 52.B
 Furor & ira in quibus differant. 22.A
 G
 Per Gentes quid intelligendum. 22.B
 Gloriari in Abraham qualis gloriatio. 41.A
 Glorificare deum spiritu , magnum opus hominis est.
 charta 72.B
 Glorificamus deum operibus nostris. 15.B
 Gratiae in omnibus deo agende. 90.A
 Gratias agere pro alijs, Christi donum est. 6.B
 Gradus ordinum ecclesiasticorum qui. 84.A.B
 Gradus misericordiarum dei. 77.A
 Gyscali uico natus Paulus. 3.A

I N D E X.

H

- Homo non solū mendax est in potentia, sed & in iudicio, opere, & uita.** 27.B
Hominem naturaliter & moraliter bonum scriptura non laudat, sed spiritualem. 26.B
Homines esse peccatores, multis scripturarum testimonijs probatur. 30.A. 31.B. & 33.A
Homicidium grauissimum peccatum in scriptura. 31.B
Hostia uiua, sancta, accepta, quando simus. 83.A
Hypocrite arguuntur de duobus. 20.B
Hypocrite dicuntur sepulchra dealbata. 31.A

I

- Iacob fugit ipsum Esau.** 70.B
Iacobus & Paulus de fide differentes, quomodo concordant. 37.A
Imitamur Christum, crucifixis nostris affectionibus. charta 50.A
Impiorum mala etiam cedunt in gloriam dei. 28.B
Incredulus quantacunque sciat, ignorans est, fur, adulter, sacrilegus, & de honestator gloriae dei. 25.A
In hominibus non natura, sed peccata, odio habenda. 84.B
Infirmus quis sit. 89.A
Infirmiores non contempnendi. 91.B
Isaac Abrahæ filius nati saluatoris typum gerit. 70.A
Iudæus uerus, & personatus. 26.A
Judicium temerarium reprobatur. 89.B
Judicis seculari quare obediendum. 87.A

Iuramentū

I N D E X.

<i>Turamentum quaque Christianis permisum.</i>	7.A
<i>Ius gladij institutum à deo.</i>	87.A
<i>Iustificatos lex dei delectat.</i>	57.A

L

<i>Lex quare spiritualis dicitur.</i>	55.B
<i>Lex est sancta.</i>	40.B
<i>Lex naturalis quid doceat.</i>	23.A
<i>Lex est bona.</i>	40.B
<i>Lex præstat agnitionem peccati.</i>	54.A
<i>Lex à ligando dicta.</i>	53.A
<i>Lex quare homini posita.</i>	54.A
<i>Legis notitia non sanctificat absq; fide.</i>	25.A
<i>Legem seruare est habere fidem.</i>	25.B. & 35.B
<i>Leges animabus nulla creatura ponere potest.</i>	87.B
<i>Litera quid dicatur.</i>	26.B
<i>Locus ab authoritate negative, apud theologos quantum ualeat.</i>	36.A
<i>Locum nec saluandorum, nec condemnandorum, nescire scriptura.</i>	39.B

M

<i>Maledicere non licet his, qui diuinis funguntur munribus.</i>	27.A
<i>Memoria spiritualis baptismi, uoluntarios à peccandi studio abstrahit.</i>	47.B
<i>Mens non plus sapiat, quam ex uerbis dei cognoscit.</i>	
<u>charta</u>	83.A
<i>Mendaces omnes conuincimur, iniusti, & rei.</i>	27.B

I N D E X.

<i>Misericordia diuina qui saluentur.</i>	77.A
<i>Mors stipendum peccati.</i>	59.B
<i>Morientes in fide, sunt apud Christum Iesum.</i>	58.A
<i>Mulier discedens à viro propter adulterium viiri, iam non est obligata viro.</i>	53.B
<i>Mundus totus, index potentiae diuinæ.</i>	14.B
<i>Mysteria omnia te non intelligere, ne tristeris.</i>	84.A
<i>Mysteria arcana scripturæ diuinæ non curiose scrutanda, sed potius adoranda.</i>	14.A
N	
<i>Nomine personæ quid intelligendum.</i>	22.B
O	
<i>Occasio litium non danda.</i>	86.A
<i>Offeramus nos cum alacritate & gaudio.</i>	51.B
<i>Officium Christiani.</i>	47.A.B
<i>Opportunitas temporis spectanda.</i>	85.A
<i>Oratio perpetua charitatis signum.</i>	7.B
<i>Originale peccatum non satis cognoscimus.</i>	45.A
P	
<i>Pater nomen charitatis est.</i>	62.B
<i>Paulus ordinatus est post resurrectionem Iesu Christi. charta</i>	4.B
<i>Paulus natus uico Gyscalii.</i>	3.A
<i>Paulus quare dictus.</i>	Ibidem.
<i>Pauperes quomodo recipiēdi, exemplo Loth & Abram.</i>	85.B
<i>Peccatum originale non satis cognoscimus.</i>	45.A
Pecca-	

I N D E X.

- | | |
|---|--------------|
| Peccatorum gradus quinq; | 25.A |
| Peccatorum præteriorum uenia nobis promittitur,
non futurorum. | 35.A |
| Peccates nō contēndi, nam nisi adiuuaremur per dei
misericordiā, multo grauius caderemus. | 81.A |
| Per sathanam qui intelligantur. | 97.A |
| Perfectioribus etiam admonitione opus. | 94.A |
| Personarum acceptio non est apud deum. | 71.A |
| Placere sibi p̄st, item proximo, quid. | 92.A |
| Pœne præsentis uitæ, remedia potius quam satisfactio
nes dicendæ sunt. | 37.B. & 38.A |
| Populū carentem cognitione dei, deus dicit non suum.
charta | 73.A |
| Populi duo intelliguntur per Iacob & Esau. | 70.A |
| Potentia uerbi quæ. | 9.B |
| Præscire quid sit. | 66.A |
| Præscientia à prædestinatione distinguitur. Ibidem. | |
| Primitias qui domino consecrant, facile reliquis cū gra
tiarum actione utuntur: & econtra. | 80.B |
| Principatus ecclesiasticus est ministerium. | 3.B |
| Propria quædam sunt soli filio concessa. | 67.A |
| Pueris adest spiritus sanctus. | 39.A |
| Q | |
| Quare participatione mensæ opus. | 38.B |
| Quid intelligendum per Esau & Iacob. | 70.B |
| R | |
| Rationale obsequium quid. | 83.B |

I N D E X.

<i>Remissio peccatorum fit absq; poena.</i>	37.B
<i>Responsio assertoribus liberi arbitrij.</i>	9.B

S

<i>Sabbatum perpetuum habent Christiani.</i>	89.B
<i>Sacramentorum quis usus.</i>	38.B
<i>Sacrificium in scriptura solet peccatum dici.</i>	59.B
<i>Sancti non carent peccato in bonis operibus.</i>	55.B
<i>Sanus quis dicatur.</i>	89.A
<i>Saulus ex tribu & gente Beniamini fuit.</i>	3.A
<i>Scandalum uitetur.</i>	90.A
<i>Scientia quare nobis datur.</i>	15.A
<i>Scriptura amat simplicitatem in loquendo.</i>	94.A
<i>Seruitutis spiritum qui accipiunt.</i>	62.B
<i>Serviuit Christus Iudeis ac Gentibus.</i>	93.B
<i>Signum robustae fidei, in arduis ueritati propter se credere.</i>	42.A
<i>Simulachrum nomen deductum Lactantius dicit à simulatione.</i>	16.B
<i>Sine lege peccare, quid.</i>	22.B
<i>Spiritus nomen crassissime in scriptura prouento & anhelitu accipitur.</i>	61.A
<i>Spiritus quid dicatur.</i>	26.B
<i>Spiritu glorificamus deum fide.</i>	15.B
<i>Stipendium peccati, mors.</i>	59.B

V


<i>Venenosâ animalia utilitate non carent.</i>	14.B
<i>Verbum dei petra & fundamentum.</i>	10.A
<i>Vetus</i>	

I N D E X.

- Vetus homo, ac nouus, secundū apostolum quid. 49.B
Victima doctorum dicuntur discipuli & auditores.
charta 94.A
Virtus dei ostenditur in malis. 72.A
Visibilia legis loco moneant, ut cretorem super crea-
turam diligamus. 15.A
Viuentes ac mortui conseruamur à domino. 90.A
Viuos scripture uocat sanctos. 5.B
Vocatus quis dicitur. 3.B
Voluntas, ac omnia nostra deo sunt offerenda. 83.A
Voluntas quomodo crucifigenda. Ibidem.
Ut iustificeris in sermonibus tuis, exponitur. 28.A
Uxor seruilem gerit personam in cōiugio. 53.A

F I N I S.

BASILEAE, PER ANDR. CRA-
TANDRVM, MENSE JANVA-
RIO, AN. M. D. XXVI.



P 720-T

OCN 15435025

